LECTIONES

IN IONAM PROPHETAM,

EX ORE CLARISSIMI VIRI

FRANCISCI IVNII BITVRIGIS,

S. Theologiæ Doctoris ac Professoris exceptæ.

In his sacræ Scripturæ explicandæ methodus breuiter & perspicuè ostenditur.

In officina Sanctandreana,

cIↃ IↃ xcIv

ILLVSTRI ET GENEROSO DOMINO, D. PHILIPPO LVDVVICO, COMITI in Hanau, & Rinnegck, &c. Domino in Mintzēberg, Rectori magnifico; & clarissimis viris Doctoribus ac Professoribus Heidelbergensis Academiæ, Fr. Iunius gratiam & pacem à Domino.

ILLVSTRIS *generose Comes, Rector magnifice, clarissimi viri, Domini & collegæ honorandi, quum mihi ante menses aliquot necessitatem vidi hinc discedendi impositam, sæpe & multū dubitaui cum animo meo, post absolutam nostram lectionibus publicis analyticam in librum Geneseos interpretationem, quid potissimum reliquo tempore in celeberrima hac vestra Academia, interpretandum susciperem. Nam cogitanti de hoc argumento, cum iuuentutis studiosæ votis, cum angustia temporis quod restabat mihi, cum vocatione & officio meo ratio simul erat ineunda. Iuuentutis consilia atque optata variabant: tempus ne longiorem librum auderem aggredi prohibebat: vt institutum opus, quodcunque foret, perficerem vocatio mea officiúmque postulabant. Ad hunc itaque sacri alicuius libri & nostræ interpretationis modum collimantibus nobis, accidit commodissimè, vt ex ordinarijs meis auditoribus quamplurimi Ionam prophetam desiderarent prælegi, eámque artem (si qua est in me) retegi, qua me in exponendis Sacræ Scripturæ argumentis vtentem videbantur sibi animaduertisse. Laudaui consilium eorum, & postulato acquieui lubens: tum quia in libro Ionæ materiam mihi oblatam esse iudicabam aperiendi vtramque viam quam soleo insistere, penetrandi* ἀναλυτικῶς *in Scripturas quàm penitissimè, eásque ad communem vsum depromendi*

συνθετικῶς, *adhibendi, atque applicandi, vt loquuntur vulgo: tum vel maximè quia hoc ipso Ionæ Prophetæ argumento faculam mihi præferri censebam, qua ius discessionis à vobis nostræ necessitatémque probarem bonis. Hoc institutum iuuit & probauit Deus, qui mihi paterna bonitate sua id dedit beneficij, vt tertio antè die quàm discedam hinc absoluerim. Idem enim vtriusque auctor, & operis huius absoluendi, & incipiendi itineris. Hoc iter mihi ante menses octo (nostis) fuit imperatum: hoc ex eo tempore ab Illustrissimis Principibus Palatinis, Dominis meis clementissimis, prolixè confirmatum: hoc non suffragijs vestris, sed silentio communi (quod tacitum est in hac quidem re suffragium) à vobis approbatum. Quod itaque faustum sit & felix à Deo Patre & Domino Iesu Christo, Illustris Generose Comes, Rector magnifice, & Collegæ amantissimi, valedicturus vobis grauissimum illum Dei seruum Prophetam Ionam allego ad vos, testem vocationis suæ, & exemplũ meæ: rogans Illustrẽ M. T. & A. V. vt discessus mei necessitatem recognoscatis ab exemplo illius, infirmum ac tenue officium meum, quod in hanc celebrem Academiam adhuc feci, quàm maxima fide diligentiáque potui, accipiatis in bonam partem, & hoc ipso indicio ac pignore voluntatis meæ confirmemini siquid commodi, vtilitatis, atque ornamenti ad Ill. M. T. & A. V. à me potest accedere, me optimo animo & contentione summa daturum operam, vt effectus mei illius studij (quod religiosè testor in Domino) pertingat ad vos, aut certè (si impar erit facultas mea) exstet voluntatis illius meæ testificatio in oculis omnium luculentissima. Deus vobis adsit, præsit, regat & toti Academiæ benedicat æterni Spiritus sui communicatione. Heidelberga die Martis* XIV. *Iunij* CIↃ. IↃ. XCII.

FRANCISCI IVNII LECTIONES IN IONAM PROPHETAM.

OMNIS iusta interpretatio aut à principiis ad finem contendit demonstrandum, aut contrà, à fine assurgit ad principia ipsius: quarum interpretationum hanc ἀναλυτικὴν, illam συνθετικὴν vulgo appellamus. In rationẽ autem scriptorum explicãdorum Analytica priorem locum obtinet, qua scholæ vtuntur plurimùm: Posteriorem verò obtinet Synthetica, prout in popularibus orationibus & cõcionibus Ecclesiasticis vtenda est. Cùm autem cõsilij huius nostri duæ in præsentia sint partes: Vna, vt à fine ad principia processuræ iuuentuti viam præmõstremus καὶ τὸ ἀναλυτικὸν: Altera, vt à principiis ad finem vsumque perueniendi rationem demonstremus: Primùm de hoc vtroque genere dicemus vniuersè, eósque cancellos circumponemus nobis, quibus in singulari huius Prophetæ nostri interpretatione quàm religiosissimè sermonem nostrum concludemus.

Ecthesis siue expositio analytica aut communis, aut singularis est. Ad communem tria summatim pertinent, Finis, Summa, & partes: ex quibus summa locum principiorum obtinet: Partes verò sunt tamquã media, quibus à fine ad summa principia peruenitur. Ad partes ordo pertinet; ad totam analysin methodus. Est igitur analysis methodus secundùm quam à fine ad summa principia secundùm partes vel per partes scripti, quod exponendum instituitur, lectores perducantur. Μερικὴ, siue particularis, pro ratione subiecti siue materiæ in duo genera distinguitur: Nam aut est analysis δογμάτων siue documẽtorum, aut διηγημάτων siue narrationum. Dogmata aut sunt θεωρικὰ in sola contemplatione scientiáque posita, aut sunt πρακτικὰ, in actione & vsu. vtrumque genus per analysin exponitur, aut secundùm argumẽtationes siue logicas, siue rhetoricas, aut secundùm propositiones, aut secundùm summas propositionum partes, quæ subiectum & prædicatũ vulgo appellantur, aut denique secundùm harũ singulares partes, quæ positæ sunt in rebus & circumstantiis.

Narrationum ſingularis analyſis ſimiliter pro natura earum diſtinguitur. Narrationum enim aliæ ſunt μυθικαὶ ſiue δραματικαὶ, aliæ ſunt ἱστορικαὶ: in quibus tria potiſſimum exponuntur ſecundum iuſtã analyſeωs methodum: Cauſæ, in quibus conſilia comprehendimus: Facta ex cauſis & conſiliis aut aliter ſuccedentia: & euenta ex vtroque. Hæc verò ſex locis ſecundùm iuſtam analyſin exponuntur: quorum tres ſunt intrinſeci, tres aſſumpti & aduẽtitij. Prioris generis ſunt iſta: Primum agens, ſiue perſona, ſiue quid aliud perſonę vicem ſuſtinens: Secũdum, factum, quod ab agente geſtum eſſe dicitur: Tertium denique modus, quo agens vſus eſt ad efficiendum id quod factum dicitur. Poſterioris generis hi tres ſunt loci: Cauſa propter quam res ab agente geſta dicitur: Secundus, Tempus, quo res geſta dicitur: Tertius locus, vbi ſeu in quo, geſta. Nam hæ duæ circũſtantiæ (vt optimè Theodoretus in Geneſ. caput 1. annotauit) à nulla re creata vnquam, ne ab Angelis quidẽ, excludi poſſunt. Quemadmodum verò in hypotheſibus & quæſtionibus ſingularibus explicandis ſemper iuſta earum ratio ex theſi & quęſtione communi cognoſcenda eſt: Sic etiam analytica narrationũ interpretatio ex theſibus dogmaticis eſt diiudicãda, & omnes partes hypotheſeωs ad theſim reuocandæ ſiue neceſſarias, ſiue contingẽtes propoſitiones habeant: quæ omnia ſecundum ordinem generis dogmatici, quem antè diximus, argumentationibus, propoſitionibus, partibus earum ſummis & ſingularibus ſecundùm res & circũſtantias iis comprehenſas ſunt examinanda.

Syntheſis ad populares orationes propriè pertinet: Ea eſt quę docet in ſcriptis interpretandis .I. principia ſiue inſtrumenta .II. ſubiectum ſeu ſummam .III. vſum vel finem illorum. Principia autẽ aut ſingularia ſunt, quæ vulgo ſcholaſticis dicuntur indiuidualia. Atque hæc hiſtorici generis ſunt propria: alia particularia: alia denique communia, quæ ſecundum rationem analyſeωs, ſed commutato in diuerſum vel præpoſterum ordine, explicantur. Subiectum vel ſumma in ſcriptorũ interpretatione ſimiliter aut eſt narrationis, aut dogmatis. Narratio autem duplex eſt: Nam aut narratio eſt facti, quã διήγημα appellamus, aut quaſi facti, vt ſunt δραματικὰ atque fabuloſa. Dogmatũ genera ſtatuũtur duo: Nam omne dogma aut ſui ipſius veritate & rei neceſſitate nititur, quod genus dogmatis Rhetores appellant γνώμην, aut verò auctoritatem dicentium adfert, & appellatur χρεία. Finis Syntheſeωs eſt ſcientia rerum & principiorum. Cùm autem omnimoda ſcientia in ſacris ſcripturis ſit comprehenſa, ſequitur omnino ſcientiam ad quam ex ſcripturis κατὰ συνθετικὸν adducimur, eſſe hanc theoricam & illam practicam. Scientiæ theoricæ duo proprij ſunt loci, διδασκαλία, & ἔλεγχος:

ἔλεγχος. Prior, ad bonum verúmque ſtatuendum: poſterior, ad malum refellendum falſúmque reuincendum pertinet. Scientiæ practicæ ſimiliter duo loci ſunt proprij, hortatio, & reprehenſio: quorum prior ad bonum iuſtúmque adducit: poſterior à malo & iniuſto abducit: poſtremò vtriuſque ſcientiæ, theoricæ inquam & practicæ, communis locus eſt conſolatio. Atque hi quinque loci ſunt ad quos iuſta locorũ Scripturæ analyſis per Syntheticam methodum informat conciones ſeruorum Dei. Modus autem aſſequendi res iſtas ex vſu Rhetorum diſtinguendus eſt. Nam aut docemus, aut illuſtramus delectamúſq;, aut denique permouemus. Hæ actiones, quibus ſingulis ſua ſunt inſtrumenta: Nam primùm docemus communiter κατ' ἔκφρασιν, per enarrationem ſcripti quod exponendum ſuſcipitur: Deinde verò ſingulariter per κατασκευὴν aut per ἀνασκευὴν rerum aduerſantium. Illuſtrando vel docendo duo inſtrumenta ſunt accommoda, communis locus & ἠθοποιΐα, id eſt perſonarum morúmque ſeparatè aut coniunctim vera aut veriſimilis repræſentatio. Ad mouendum, quæ tertia actio eſt vel officium concionantis, pertinent alia ſimpliciter, alia comparatè. Simpliciter ad mouendum pertinẽt Encomium & vituperatio: Comparatè verò ex locis aſſumptis extrinſecus collatio rerum, exemplorum, & ſimilium: quorum omnium loci ex logicis quidem logici, ex rhetoricis verò rhetorici petendi ſunt. Reſtant analyſeωs & Syntheſeωs Leges, aliæ communes, aliæ particulares. Communes ſunt tres. 1. de rebus, vt veræ ſint. 2. de ſermonibus, vt proprij ſint. 3. de vtriſque, vt vtrumque ſit perſpicuum atque dilucidum. Singulares ſunt hæ: Quod analyſis ſermonem preſſum, & ſine ornatu adhibet: Syntheſis ſermonem copioſum, & ornatu conueniente coniunctum.

Huius itaque Prophetiæ, quam interpretandam ſuſcepimus, duplex ἔκθεσις analyticè nobis inſtituenda eſt: vna communis, altera particularis. Ad communem tria ponenda ſunt: Finis, ſumma, & partes ad eam pertinentes. Finis eſt, vt paternæ Dei miſericordiæ in filios ſuos, & communis miſericordiæ in omnes exemplum perpetuum exſtet in Eccleſia Dei. Summa eſt, Deum paterna ſua miſericordia Ionam ſeruum ſuum ad conſcientiam & obſequium vocationis ſuæ, ſermone & facto ſemel atque iterum refugientem vocaſſe, & per illum teſtimonium communis ſuæ illius miſericordiæ apud Nineuitas ſermone & facto teſtatum eſſe. Itaque communes huius Prophetiæ partes omnino duæ ſunt, concluſæ binis capitibus. Prior pars eſt de vocatione Ionæ, cap. 1. & 2. poſterior de vocatione Nineuitarum & euentu illius, cap. 3. & 4. Cum autem huius Prophetiæ vel ſcripti ratio tota ſit ferme διηγηματικὴ, hiſtoriam tum vocationis imperatæ, tum etiam præ-

ſtitæ exponens, propterea harum ſummarum partium membra ſecundùm analyſin hiſtoricam diſtribuenda ſunt: ac proinde in vtraque hiſtoriæ parte, 1. cauſæ conſiliáque. 2. facta: poſtremò euenta opus eſt obſeruari, in hunc modum. Prioris partis, quæ eſt de vocatione Ionæ, primùm cauſæ obſeruãdæ ſunt verſu 1. 2. & parte tertij: deinde facta, in verſu tertio: poſtremò autem euenta ex facto Ionæ conſequuta, verſibus reliquis capitis & ſequente capite. Cauſarum duo ſunt genera: vnum eſt foris aduenies, quod magis occaſio quàm cauſa dicendum eſt, aut (ſi quis cauſam dicere voluerit) cauſa per accidens. Illud autem eſt mandatum Dei verſu 1. & 2. Alterum genus eſt cauſa per ſe, nempe conſilium Ionæ repugnans voluntati Dei & mandato reuelato eius, verſu tertio. Factum eſt fuga illius. Euentus eſt pœna illi à Deo impoſita, donec reſipuiſſet & pendêre à Deo didiciſſet. Quarum partium in hypotheſi propoſitarum ſi quis theſin deſiderauerit, hæc argumentatio ex hypotheſi aſſurgit. Qui vocationi & mandato Dei reſiſtunt aut refugiunt ipſum, ij iuſtas pœnas Deo daturi ſunt: Mandato Dei reſtitit Ionas & refugit vocationem eius: Iuſtè itaque pœnas daturus fuit. In priore cauſa (ſi ita licet appellare) duæ partes obſeruandæ ſunt: auctoritas mandati, verſu 1. & ſubſtantia eius, ſecundo verſu.

1. QVVM *fuiſſet verbum Iehoua, ad Ionam filium Amitthai, edicendo,*

Huius verſus primi argumentum eſt, ſequentis mandati auctoritatem non humanam, ſed diuinam eſſe. Ita enim ſe habet argumẽtatio. Diuini ſermonis diuina eſt ac ſumma auctoritas: hic autem fuit ſermo Iehouę ad Ionam: huius ergo ſumma auctoritas, cui credere & obſequi Ionam oportuit. Maiorem propoſitionem in confeſſo eſſe apud omnes conſtat: & qui de hoc argumento ſcripſerunt, diuinorũ teſtimoniorum ſermonúmque auctoritatem ſummam eſſe conſtanter tradũt. Minor tantùm hoc verſu ponitur, *verbum Iehouæ fuiſſe ad Ionam filium Amitthai dicendo, &c.* Huius propoſitionis ſubiectum eſt, verbum Iehouæ: prædicatum, fuiſſe ad Ionam filium Amitthai: Subiecto continetur nomen τῆ πράξαντος, nimirum Iehouæ: Deinde nomẽ rei factæ, cum verbũ Iehouæ dicitur. hos duos locos innatos eſſe in narrationibus oſtendimus. Cùm autem harum actionum ea natura ſit vt in aliquod ſubiectum tranſeant, Verbi autem Iehouæ nulla natura ſit capax quàm quæ ad imaginem eius fuit condita; propterea perſonæ agenti perſonam patientem obiici neceſſe eſt, pro ratione actus ad perſonas ſolùm tranſeuntis quæ geſtant Dei imaginem. Illud obiectum eſt expreſſum prædicato, cùm dicitur fuiſſe ad Ionam filium Amitthai.

Poſtremò

Postremò autem modus actionis prędicato exprimitur in voce, *dicendo*. Ac proinde huius versus historia innatos dumtaxat locos complectitur. Extrinseci autem omittuntur: Causa, quia ex sequente narratione facilè intelligitur. Tempus verò, & locus, quia nihil ad veritatē huius historiæ pertinebant. Quod autem *vau* in principio ponitur, hoc varij interpretantur variè. Nam aliis placet copulam redundantem esse: alijs coniungentem cum antecedentibus: alijs temporis aduerbium: alijs denique πολυσυνδέτων. Qui aduerbium temporis aut πολυσυνδέτων esse putant, coniungendum hunc versum cum tertii principio statuūt: quasi diceretur, Cùm fuisset verbum Iehouæ ad Ionam, &c. tum surrexit Ionas, &c. aut, Et fuit verbum Iehouæ, & surrexit Ionas. Qui redundare putant exponūt simpliciter fuit verbum Iehouę, &c. Qui denique copulam esse cum scriptis antecedētibus coniungentē iudicant, ij rationem habent illius modi quem Prophetæ olim in Iudæorū Ecclesia obseruarunt, vt nempe breuiores Prophetias veluti vno contextu alias alijs coniungerēt: quemadmodum fuisse compositum librum Iudicum, libros Samuelis, & Regum ex multis Chronicorū locis colligitur, & nos obseruauimus notis in biblia. hāc postremam interpretationem alijs anteponimus. Hinc nascūtur loci ad syntheſin pertinētes tum particulares, tum verò communes in hunc modum.

1. Iehouam non solùm causam summam, sed principium cōmune esse eorum omnium quæ sunt, quæ dicuntur, quæ fiunt, non tantùm apertè, sed etiam occultè, in rebus creatis omnibus: nominatim verò auctorem & principiū sermonis esse quo apud eos vtitur qui sermonem capere possunt.

2. Verbum Iehouæ esse aliud commune, aliud particulare; aliud sepositum à signis, aliud coniunctum signis. Commune esse, quod cum natura conuenientiam habet: Particulare, quod ex gratia est. De signis dicemus cùm ad modum veniemus.

3. Sermonis Iehouæ capax subiectum esse quicquid ad imaginem Dei conditum est: hūc verò sermonem gratiam Dei testatam facere, aut secundùm communem sanctificationem & vocationem, aut secūdum particularem reuelationem & singularem vocationem, vt hic Iona factum est.

4. Modum istius sermonis aut sine mediis esse per spiritum, aut coniunctum mediis; iisque aut signa habentibus, putà visione vel somnio, Numer. 11 aut non habentibus.

Ex eo quod Iehoua principium actionum, sermonum, cogitationum, rerúmque appellatur, primùm doctrina salutaris omnibus proponitur, & singulis applicatur, quod idem sit α & ω omnium. Hinc

è diuerso opponitur redargutio doctrinæ contrariæ, putà quæ aut naturam, aut fatum, aut fortunam, aut quiduis aliud principiũ commune statuunt, aut denique principium vllum comune esse negant. Hinc hortatio ad bonum duplex: vna, vt principio communi nostro semper adhæreamus: Altera, vt ad idem principium, velut finem summũ nos nostráque omnia referamus. Consolatio est, quòd rebus omnibus etiam sursum deorsum cõuersantibus nihil nos à communi illo principio, aut principium à nobis diuulsurum est.

Ex secundo, quo verbum Iehouæ appellatur, doctrina est, quòd Deus sese & voluntatem suam non solùm naturę opere, sed etiam verbo gratiæ explicauit, & communicauit, atque communicat intus loquens Spiritu, foris ministerio earum rerum quas ad hunc vsum adoptauerit: Redargutio in eos competit qui aut verbum Iehouæ exstare seu extitisse negant, aut hoc esse negant quod nos à Deo accepimus. Hortatio dehortatio & consolatio non propriè ad hoc membrum, *verbum Iehouæ*, pertinent, sed propriè ad membrum sequens, cum dicitur *ad Ionam filium Amittai*. Personæ igitur accipientis verbum doctrina est duplex: vna, de verbo capiendo: Altera, de vtendo: vtendo autem non tantum in mente καὶ τῷ διανοεῖσθαι, sed etiam in corpore secundùm πρακτικὸν. Sic hortatio est ad capiendum verbum, qua Christus vsus est frequentissimè: & contraria dehortatio ac reprehensio eorum qui non faciunt verbum Dei. Accedit consolatio iis qui ceperunt verbum Dei, & capturis verbum promissio consolationis diuinæ, cum & verbum animo capiunt, & Deo sese permittunt ex verbo ipsius. Restat modus, cuius plane ratio est eadem; cùm docendis hominibus, vt multimodam Dei gratiam verbo expositam agnoscant, eámque occupent, & non obdurent corda sua; tum redarguendis iis qui verbo & modis à Deo oblatis illuserint; tum hortandis & dehortandis, ac postremò etiam consolandis; re, si verbum & modum quem Deus tenet perceperint; promissione, si ad Deum verbo & modis suis diuinis reuocantem piè reuerterint.

2. *Surge, adi Nineuem ciuitatem maximam, & clama contra eã, ascendisse enim malitiam eorum in conspectum meum.*

Exposita auctoritate huius verbi præcedente versu, nunc mandatum exprimitur quod Ionæ Prophetæ faciendum imponebatur à Domino. Mandati duæ sunt partes: vna, res quę imperatur facienda, priore membro versus: Altera, causa. Est autem totum hoc mandatum in facto positum, quapropter ad genus δηγματικὸν referri necesse est. In mandatis autem promiscuè vtrumque obseruatur, vt ante mandatum

tum cauſa, vel ante cauſam mandatum exponatur. Ad factum, quod Ionæ imperatur, res duæ ſunt adiunctæ, & vna principalis ſubſtantiam mandati continens. Nam tria imperantur Ionæ: 1. vt ſurgat. 2. vt Nineuem proficiſcatur. 3. vt proclamet in illa decretum Dei. Primus mandati locus eſt præparationis ad ſequentia: Nam in ſcripturis vox iſta, *Surge*, vel age, hortatis eſt ad opus, ſumpta locutione ex communi vſu eorum qui ad opus excitantur. Nam ex habitu ſeu ſitu corporis plurimùm occupationes hominum deſignantur. Cubatus quietem corporis & mentis: Seſſio actionem mentis compoſitæ corpore quieſcente: ſtatio actionem vtriuſque denotat. Quapropter qui ad actionem ſeriò inſtituendam excitantur, non autem dicis cauſa (vt loquuntur) illi iubentur ſurgere vel ſtare, id eſt ſeſe ad actionem animo & corpore ſeriò inſtituendam comparare. Secundus locus mandati eſt, *Abi Nineuem ciuitatem maximam.* huius loci ſenſus eſt euidens: Nam imperatur Ionæ iter ad functionem obeundam, quæ tertio loco exponitur. Adiicitur autem nomini Nineues epitheton ἐγκωμιαστικὸν, *In ciuitatem illam maximam* vt Ionas amplius excitetur ad ſtudiũ functionis illius capeſcendæ in ea vrbe, quæ frequentiſſimum populi cœtum caperet, vt in fine huius libri oſtẽditur. Etſi alioquin ad frequentiam populi pertinuit amplitudo ciuitatis, quæ Geneſ. 10. & infrà ca. 2. celebratur. De amplitudine huius ciuitatis plerique confuſè dixerunt: Diodorus Siculus diſertè explicauit. Eſt autem hæc ciuitas quam alij Nineuem, Herodotus & Ptolemæus Ninum, Diodorus Siculus Ninam appellauit: quam plerique omnes hiſtorici à conditore Nino viro Semiramidis appellatam putant. Nos imperitiæ vel inſcientiæ hiſtoricorum illud concedentes, potius ſtatuimus Hebræa appellatione Nineuem compoſita voce appellatam, pro eo quod eſt amœna habitatio. Nam Ninus, quo hiſtorici tanquam proprio vtuntur nomine, ſimiliter vox Hebræa eſt, nepotem ſignificans: quia nepos Nimrodi (quem Iouem Belum appellauerunt hiſtorici) fuit Ninus etiam ipſorum hiſtoricorum teſtimonio. Amplitudo ciuitatis iſtius à Diodoro Siculo in hunc modum deſcribitur: fuiſſe ambitum ciuitatis Nineues ſtadiorum 480. Ciuitatem fuiſſe productam in longum ſecundum Tigrin fluuium, cui erat impoſita, in regione Aſſyriæ ſuprà Euphratem, vt Diodorus Siculus docet: fuit autem longitudo vrbis ſtadiorum 150. Latitudo ſtadiorum 90. qui duo numeri ſi ſecundum bina latera vrbis duplicẽtur, aſſurget planè numerus ſtadiorum 480. quem ante diximus. Hunc autem numerum fuiſſe maiorem quàm fuerit numerus ſtadiorum in vrbe Babylonis, Diodorus eodem libro apertè teſtatur: Cùm neque ciuitatem vllam tanta amplitudine exſtitiſſe ab

eo tempore affirmet, & auctorem Clitarchum aliósque Alexandri magni comites adferat, qui mensi sunt ambitum Babylonis stadiorum 360.& singulis diebus studio Semiramidis murum ad stadij vnius spatium extructum fuisse narret, ac proinde Babylonem vno anno absolutam. Nam annus apud Orientales erat 360. dierum: quibus, vt nihil de intercalari die dicamus, accedebant dies 5. feriati, per quos nullum opus licebat aggredi. Quapropter falsum fuisse in descriptione Babylonis Herodotum res ipsa loquitur: qui Babylonis spatium idem omnino circumscribit ac fuit Nineues, siue ita acceperit ex aliorum sermone, siue (quod probabilius est) ex dimensione Nineues, quæ iam diu euersa erat temporibus illius, existimarit Semiramidē Babylonem suam vrbi Nineuę adæquasse, prout fuit consilium eius. sed non respondit euentus, vt apertè à Diodoro Siculo vtrumque cōfirmatur. Vt autem reducamus hanc amplitudinem ad vsum nostrum, Cum stadia communia 30. vulgo milliari germanico tribuātur; hæc autem stadia communibus maiora fuerunt pro pedum, quibus dimetiebantur, analogia; pedes autem illi tribus digitis communibus communes pedes excesserint: demus sanè 24. stadia milliari vni, futura sunt quasi viginti milliaria. Quod si de Babylone (quam Nineue 120. stadijs superauit) pronunciat Aristoteles politic. 3. non πόλιν sed χώραν esse, id multo magis de Nineue dicendum fuit, ne cuiquam mirum videatur quod postea narratur cap. 3. Prophetam in ea ciuitate triduum processisse. Tertium membrum mandati, ad quod præcedentia pertinent, positū est in his verbis, *Proclama contra illam:* quo in mēbro tria nominatim præcipiuntur à Domino. Nam 1. actio præcipitur verbo *proclamandi*: Deinde modus actionis, eodem verbo: postremò autem locus, quòd in ea ciuitate proclamare Ionā oporteret verbis Domini quæ in mandatis erat habiturus. Huius mandati causa, qui locus alter est, secunda parte versus proponitur, eáque historica. Nam 1. persona Nineuitarū circumscribitur, cùm dicitur *Malum illorum*: Deinde factum ipsorum circumscribitur, quod huic denūciationi diuinę occasionem dedit, nimirum *Malum ipsorum*. Malum autem actiuè, ac nō passiuè accipe pro maleficio; ne que singulariter, sed sylleptice atque cōmuniter, pro maleficijs. Tertiò, modus istorum maleficiorum figuratè ostenditur, & grauitas eorum indignissima, cùm dicitur *ascendisse in conspectum Domini*, id est, illos fuisse maleficos, non solùm cum animis suis, non solū intra priuatos parietes, aut inter ciues, aut inter omnes homines studio iniustitiæ; sed etiam maleficijs cælum ipsum majestatémque Dei petiuisse, & peccauisse (vt Scriptura loquitur) elata manu, peccato voluntario, siue (vt veteres Græci & Latini prouerbiali formula ex sacrificiis

ficiis ducta vtebantur) nudo capite. Atque hæc locutio de hoc genere peccatorum ad impietatem maximam pertinente in scriptis est frequentissima.

Primum itaque Synthetici generis documentum est, reuocata ad thesin hypothesi, vt facto opus est in historijs:

1. Excitatos omnes pios ad capessenda Dei mãdata esse oportere.

2. Nos cùm in via hac terrestri, tum in via spirituali ad Dei mandatum pergere oportere.

3. Quò ampliores vocationes & vocationũ fructus ostẽdit Deus, modo ne temerè, sed explorata volũtate illius instituamus, eò religiosiùs vocationes illas obeundas esse.

4. Singulos pro vocatione partibus quas mandauerit Deus fungi oportere, siue sedatæ fuerint actiones earum, siue clamosæ, id est, nobis laboriosæ & alijs molestæ.

5. Maleficia hominum celari Deum non posse.

6. Quo magis prouehunt homines in maleficijs, eo magis videri illos ac dici in conspectu Iehouæ peccare, aut in os illius. Ex his singularibus assurgunt communia duo: Vnum, penes Deum auctoritatẽ esse nos excitandi, ablegandi, & in vocationibus quæ videntur ipsi occupandi. Alterum, nihil sine causa, nec in hoc genere, nec in alio vllo à Deo imperari, siue nobis, siue pro nobis, siue cõtra nos. Ex his omnibus facile est studioso cuique locos doctrinæ colligere, & ex horũ natura locos redargutionis, hortationis, reprehensionis, & consolationis excerpere. Exempli causa: Ex primo singulari doctrinæ loco (Est autẽ is, Excitatos nos ad Dei verbum esse oportere) redargutionis locus futurus est in eos qui aut naturæ viribus, aut donis gratiæ acceptis ita confidunt, vt sibi excitatione opus non esse opinentur: Nam à natura homines in peccatis non solùm indormiscere, atque torpescere, sed iacentes & mortuos & prostratos esse. Hinc hortatio est euidens: Ergo excitatos nos esse oportere cum Dei mandatis, tũ conscientiæ aculeis, tum monitis alienis auctoritate, ratione, exemplo vtentibus. Itaque huic coniunctum esse reprehensionis locum, Quid indormiscis? aut torpes? &c. Atque hic quidem locus ab argumento consolationis videtur alienus: Sed tamen consolationem etiam reprehensioni vtiliter ex eodem loco adhibere potes, nempe ijs qui infirmè stant, aut tenuiter excitantur: tamẽ illam ipsam stationem excitationémque ipsis documento esse diuinæ gratiæ, qua iam excitati sint & erecti, vt porro in eadem gratia discant conquiescere, neque abijciant animum propter tenuitatem, sed confirment propter veritatem gratiæ quamuis exiliter inchoatæ.

3. *Surrexit Ionas vt fugeret Tarsum à conspectu Iehouæ: quapropter descendens Iaphũtem, inuenta naui quæ ibat Tarsum, dedit naulum eius, descenditque in eam, vt abiret cum nautis Tarsum à cõspectu Iehouæ.*

Causam & consilium siue mandatum quod Deus Ionæ proposuerat posteaquam intelleximus, sequitur secundus locus historiæ de facto Ionæ: qui locus, prout & spiritus Sanctus breuiloquens, hoc versu vnico exponitur. In facto autem Ionæ hoc loco similiter consilium & factum Dei mandato aduersans ordine obseruandum est. Consilium, priore membro versus: factum, posteriore exponitur. Consilio causa non adijcitur, qua Ionas ad hoc consilium adductus est: Sed tum ex rerum natura, tum ex capite vltimo deprehẽdi potest. Natura; quia credibile est Ionã prætulisse occupationem suam in patria apud suos vbi præsens erat, occupationi isti apud exteros, lõginquos; barbaros, alienos à fide & cognitione Dei, & apud istos operam suam consumere. Ex capite vltimo altera quoque causa videtur accedere, quòd Ionas cognito legationis suæ argumento in dubium venerit, vtrum Deus denunciationem effecturus esset reipsa quam verbis Ionæ erat significaturus; ac proinde malebat à legatione abstinere, quàm ea defungi, si Deus præcisè nollet exsequi rem ab ipso denunciandam Nineuitis: quæ causa longissimè abfuit à testimonio Spiritus Dei, cùm non staret per Ionam quo minus Nineuitæ perirent, vt qui malebat Nineuitas documentis resipiscentiæ carere, quàm sibi postea vitio verti quod prophetia ipsius non fuisset re effecta. Nam hoc modo Ionas & misericordiæ Dei, & Nineuitarum saluti sua priuata & singulari de causa obsistebat. In facto hoc igitur Ionæ, tũm substantia facti, tum consilium (quod causam electiuam vocant) opus est obseruari. Factorũ quæ instituit Ionas ordo secundum res gestas hoc versu exponitur. 1. quod surrexit: Secundò, quod descendit Iaphonem: tertiò, quòd nauem curauit: quartò, quòd naulum exsoluit integrũ, vt eò amplius nautas obstringeret: quintò, quòd ingressus nauem sese commisit itineri.

In primo factorum genere videtur Ionas in speciem mandato Dei paruisse. Dixerat enim Deus *Surge*, versu 2. & surrexit, tertio, id est sese accinxit ad iter sibi imperatum. Sed obseruandum est actionum omnium siue naturalium, siue consultarũ, quas Græci vocant ἐκ προαιρέσεως, modum esse hunc, vt aliæ per se bonæ sint, aliæ malæ, aliæ mediæ, quæ pro ratione agentium bonis aut malis adscribendæ sunt. distinguuntur autem tribus potissimum modis, ortu siue causa efficiente, modo, & fine. Ortu: nam malæ efficientis causæ malus effectus est: modo, nam etiam bonæ efficientis causæ actus fit vitiosus, si modus

malus

malus acceſſerit: ſine denique præſertim in rebus moralibus, in quibus finis quodammodo forma eſſentialis noſtrarum actionum eſt, ſi ad aliud quàm ad bonum contendimus. Hic ergo ſurrexit Ionas, nec purgata efficiente cauſa, nec fine iuſto: cùm finis demum iuſtus eſſe potuerit, ſi eo contendiſſet quo Iehoua præceperat. Ac proinde cum ſurgere, tanquam actus purè naturalis, per ſe non ſit malum, ſed ſecundum efficientem cauſam aut finem ipſius; de hoc Ionæ facto ex fine maximè iudicamus, quia ipſius Ionæ confeſſione, finis quem ante oculos ſibi propoſuerat pugnabat cum mandato & vocatione Dei. Atque hæc cauſa eſt cur huic narrationis ſuæ principio vitium demonſtrauit his verbis, *ſurrexit Ionas ad fugiendum Tarſum à conſpectu Iehouæ*: tanquam ſi diceret, conſilium & finem ipſius fuiſſe malum duobus modis: vno, quòd alio fugiturus eſſet quàm Deus imperauerat: Altero, quòd etiam à Deo fugiturus eſſet: quorum prius ſingularis mandati & vocationis, poſterius communis neceſſitatis eſt. Reſtant reliquæ partes facti: quòd fugiturus Tarſum à conſpectu Iehouæ *deſcendit Iaphonem*, id eſt, Ioppen (vt paſſim in ſcripturis & apud Geographos appellatur) vrbem Paleſtinæ maritimam rupi impoſitam, quapropter fabuloſa Andromachæ vincula celebrata apud veteres: Quòd nauem curauit Tarſum profecturam, &c. quæ per ſe tantam habent euidentiam, vt non egeant vlla interpretatione. Nam de omnibus iſtis actionum membris iudicium ex prima illa actione, quam ante explicauimus, faciendum eſt: tantum hoc vniuerſè in harum rerum contextu opus eſt obſeruari, nihil à Iona prætermiſſum eſſe quod arbitraretur ad perficiendum conſilium ſuum pertinere, nempè vt Tarſum proficiſceretur fugiturus à facie Iehouæ. Itaque ex his principiis ſingulis hi loci naſcuntur Syntheſeos, 1. Actiones purè naturales, quà naturales ſint, ita bonas eſſe, vt pro ratione rerum accedentium aut bonæ ſint, aut efficiantur malæ. 2. Harum actionum cõditionem bonam vel malam fieri ſecundum ortum, modum, aut finem ipſarum. Ortum autem duobus modis conſiderari: aut ſecundum formam eſſentialem cauſæ efficientis, aut ſecundùm naturam cauſæ accedentis atque impellentis. Nam hominis mali actiones malas eſſe, tum quia malus eſt, tum quia ad malum voluntate propria aut aliena impellente excitatur. Modum in actionibus aut intus, aut foris obſeruari: Intus in agente, ſi ſecundum naturam eius vel ſecus: foris, ſi accidentia ſint vitium illius actionibus importantia. De fine locus eſt euidens. Veruntamen in fine duo obſeruari oportet: Vnum, vt natura & conſilio ſit bonus: Alterum, vt prudentia ad finem aſſequendum adhibeatur, ne euentus contrarius actionem per ſe futuram bonam commaculet.

Finium autem & consiliorum ad fines contendentium duo esse genera: Nam fines alios nobis proponimus propter ipsos, alios propter aliud. Atque hinc tertius locus est in facto Ionæ, quòd finem propter aliud à Deo imperatum declinauit, & cõtendit ad aliud: Deinde quartus, quòd finem summum impiè declinauit. Nam finis specialis propter aliud fuerat, vt Nineuem proficisceretur: Communis autem & vniuersalis, vt omnes coram Iehoua & ad Iehouam contendamus. Illi autem (quod est in prouerbio) aduersus stimulum calcitrant, qui aut propter aliud rem à Deo imperatam refugiunt, aut fini communi renunciant, vt ambulemus coram Iehoua. Ex principiis hisce iudicium de actionibus cæteris faciendum est: Nam quæ actiones mediæ sunt & indifferentes, pro ratione consilij & finis malæ in hoc exemplo effectæ sunt. Ex his facilè exsistunt loci doctrinæ, redargutionis, & id genus alij. Ac primùm quidem de facto, id est surgendo, locum exposuimus in Dei mandato, præcedente versu. De consilio & fuga aliquid dicamus. Consilium & actus fugæ singulos concionales locos suppeditare potest. Ad consiliorum locum hæc argumenta doctrinæ pertinent.

1. Consiliis locum dari in iis rebus oportere, quarum est electio & facultas.

2. Electioni locum esse in iis rebus quæ secundum Deum, naturam, iustitiam & æquitatem fieri, aut omitti possunt.

3. In consiliis capiendis facultatem duplicem obseruari oportere: Vnam ex facto, alteram ex iure. Nam qui consilium ex facto impossibili (vt loquuntur) capit, insanus est: qui ex iure impossibili, iniquus atque iniustus appellatur. Atque hinc redargutio sequitur: primùm eorum qui cõsilia secundùm potentiam à potentioribus sine iusti æqui & boni ratione posse capi asserunt: Secundò eorum qui cõsilia de æquo bono sine ratione facultatis capienda putant: Tertiò denique eorum qui consilia aut nulla rebus adhiberi posse, aut citra rationem æquitatis & facultatis arbitrantur. His coniuncti sunt hortationum loci. 1. vt consilia nunquam ab vllo negligantur. 2. Vt consilia secundùm Deum, naturam, iustitiam, honestatem, & commoditatem capiantur. 3. Vt æquitas & facultas prudenter expendantur, antequam deliberata sint consilia. 4. Vt consiliorum euentus non ex pacto nostro, aut alieno solùm, sed ex dispositione prouidentiæ diuinæ expectetur. Atque iidem sunt gradus reprehensionum in consiliis capiendis. Consolationis locus est duplex, vbi consilia bene facta sunt: Vnus est, eum cui præter consilia acciderit, si iustas consiliorum leges adhibuit, officio satisfeciſſe & conscientiæ. Secundus, cùm euentus à

tus à Deo sit, nihil æquius esse quàm vt prouidentiæ diuinæ acquiescat, quæ id ipsum quod nobis malè videtur cecidisse paterno studio solet corrigere & vertere in bonum nostrum.

4. *Iehoua autem iniecit ventum magnum in mare, fuitque procella magna in mari; adeò vt nauem illam cogitarent fractum iri.*

Nunc demum exponit Propheta locum tertium, quem in historia diximus obseruandum: nimirum euenta, quæ ex facto Ionæ obnitētis mandato Dei consecuta sunt. Horum autem euentorum perpetuus quasi cōtextus est ad finem vsque capitis. Ea in duos locos summatim diuidi possunt: quorum prior est de ijs rebus quæ inter homines gestæ sunt, ad versum vsque penultimum: Posterior autem de rebus à Deo effectis citra hominum administrationem, versu vltimo. In priore euentorum genere, primùm causa summa & ortus illorum: deinde verò cōsequētia omnia obseruāda sunt. Causa & ortus, priore mēbro huius versus; Consequentia, posteriori mēbro & reliquis versibus exponuntur. Causa euentus fuit Iehouæ & ab eo auctore ortus ventus est, Ex vento procella, vnde omnia, quæ postea narrātur, cōsecuta sunt. Itaq; in hoc principio euentorū secundum naturalē constitutionē historiæ hæc ordine expendenda sunt: Primùm, Quis fecerit, *Iehoua*: Secundò, Quid effecerit, *ventum magnum*: Tertiò, quomodo, vehementia maxima, tāquam si vibrans proiecisset, quod verbo Hebræo propriè significatur: postremò locus, quòd *proiecit*, id est, immisit, *in mare*. Et rursum effectus venti, quo Deus mediatè vsus est, eodē modo recognoscēdus est: fecit enim vētus vt procella esset, eáq; magna in mari. Causa ergo istorum effectorū ponitur Iehoua: quæ causa cùm suprema sit, atque communis, tamquam in communi principio posita omnibus causarū generibus hoc loco opponitur, quæ alioquin homines adferre solent. Nam hæc causa non est naturalis, sed supra naturam: nō est voluntatis rerum creatarum, sed supra creaturas: non fortunæ aut casus, quas causas Philosophi ignorantes Dei plurimùm attulerunt vt suam ipsorum ignorationem tegerent; sed causa causarum est, id est, causarum princeps, ex qua omnia in rerum natura & supra naturam pendēt. Hæc igitur causa dicitur immisisse ventum magnum. venti autem nomine apud Hebræos vtrumuis intelligitur, aut ventus, aut flatus: quæ duo distinguūt Philosophi: Græci ἀνέμους καὶ πνοὰς vocāt. Nam ventus (vt illi volunt) vniuersalis est: flatus verò particularis, puta aut ex spiramentis terræ, aut ex aquarum & aëris collisione aliquo in tractu singulariter effectus. Ego hîc flatum potiùs esse quàm ventum existimauerim: & ita Iudęi omnes vno consensu iudicarunt, adducti certis ratio-

nibus quæ ex huius capitis narratione petitæ sunt. Nam siue ex spiraculis terræ flatus (vt in maritimis locis plurimũ accidit) emerserit, vnde etiam immanes terræ motus; siue aliunde: probabilius omnino est hunc ventum illi solùm tractui incubuisse. Neque verò obstat, quòd magnus appellatur: nam etiam flatuum, prout erumpunt ex suis spiraculis, maxima est vehementia: etsi non protenditur ipsorũ vis quàm latè patet terrarum orbis.

Altera causa secundaria à causa principe, nimirũ Iehoua, per causam proximè præcedentem, qui flatus est, excitata dicitur procella magna, eò quòd irrumpente flatu mare illud inhorruit, prout Hebræa voce propriè significatur. Itaque non est cur magnopere de quęstione illa ab Hebræis agitata laboretur, vtrum ventus fuerit vniuersalis, an particularis: similitérque procellæ ab eo excitatæ. Nam tribus modis ad quæstionem hanc facilè potest responderi, ducta argumentatione à causa procellæ huius, à communi vsu in natura rerũ, & à particulari vsu qui maris mediterranei maximè proprius est, prout auctores quique probatissimi vno ore confitentur. Causa enim fuit Deus faciens vt Ionas tanquam fugitiuus castigaretur, reciperetúrque, & reuocaretur ad officium, & aliis exemplo esset. Ad hanc verò causam quid attinuit totum mare Mediterraneum, inde à Syria ad fretum vsque Gaditanum commoueri? nedum Oceanum, qui lambit vniuersum terrarum orbem. Communis experientia & vsus in natura rerum hic est, quòd maria vniuersa ventis vniuersalibus, aut eorum partes flatibus suis particularibus impelli solent: imo etiam marium quoque certorum particulæ, prout incumbunt flatus aut ex ruptis nubibus, aut ex terræ specubus erumpentes. Atque hoc posterius genus magis ad historiæ veritatem videtur pertinere. Vsus denique maris mediterranei hic est, quod & frequentioribus, & vehementioribus, & magis particularibus procellis concutitur, duabus potissimum (vt authores indicant) de causis: vna, quòd totum illud mare in meditullio terræ quodammodo videtur compressum esse: vnde angustissimis faucibus ad fretum Gaditanum cum Oceano se miscere solet, ac proinde quo pressior vnda, eo grauior fluctus, si vrgentur vndæ. Altera, quòd spiramentis terrę & specubus ex omni parte infestum est, ex quo fit vt frequentiora quoque in eo & vehementiora fluctuum discrimina plurimùm excitentur. His si causam illam principem adieceris, prouidentiam Dei seruum suum ad imperatum opus retrahentis, quis non videat potius particularem quàm vniuersalem procellam hic dici oportere? Verumtamen non est quòd è diuerso cum Hebræorum vulgo iudicemus, procellam hanc singularem,

rem, ac non ſolum particularem fuiſſe, id eſt, ſolum nauigium quo vehebatur Ionas fluctibus & procellis fuiſſe agitatum, aliis antè oculos ipſorum immotis à procella exſiſtentibus, quod audaculi quidam ex Hebræis affirmarunt: ſed potius ita ſtatuendum eſt, vt non fuit procella hæc vniuerſalis, ſic etiam non fuiſſe eam ſingularem, ſed particularem commodè appellari poſſe: quia quemadmodum hæc tota nauis fuit agitata: Ionæ ad caſtigationem emendationémque, nautis verò, vectoribúſque cæteris ad exemplum: ita etiam alias naues in eodē maris tractu verſantes particulari hac procella fuiſſe ad exemplum agitatas, quia vexatio (vt vulgò dici ſolet) quærentibus cauſam iſtius procellæ & cognoſcentibus intellectum attulit.

Huius itaque verſus finis eſt, vt Dei potentiam in retrahendis & reuocandis ſuis videamus, coniunctam paterna miſericordia: Summa eſt, eum diuina potentia ſua effeciſſe, vt Ionas fugiens vocationem ſuam, tanquam iniecta manu ſiſteretur catenis potentiæ eius. Partes, Deum, vt cauſam principem, cauſas ſecundarias quibus vti viſum eſt adhibuiſſe: denique ex iis conſequutum eſſe, vt nauigium quo vehebatur Ionas fracturā moliretur. Itaque totus hic verſus eſt διηγηματικὸς, & primùm cauſam ſummā, nempe Iehouam & actionem eius: Secū dò, facta, quod & ventū & fluctus excitauerit: Tertiò conſequentia, quod nauis fracturam minaretur, comprehendit. Itaque loci ad hiſtoriam pertinentes ſinguli facilè obſeruantur: primùm perſona faciens, Iehoua: Deinde facta duo, quòd ventum proruit, & procellas excitauit: Tertiò modus, quod proruit, id eſt maxima vehementia ac celeritate fecit tanquam repentino impetu: Cauſa, qui quartus locus eſt, ex præcedentibus intelligitur. Atque eodem copula pertinet in principio verſus, tanquam ſi dixiſſet Propheta, eo quòd Ionas fugam moliebatur à conſpectu Iehouæ hæc effecta eſſe: poſtremò locus & tempus euidentiam habent hoc verſu maximam. Ex hac hypotheſi hiſtorica fiunt Theſes dogmaticæ, ad genus partim contingens, partímque neceſſarium pertinentes. Primùm, Iehouam à nobis cauſas ſumere iudiciorum ſuorum, & eundem cauſam efficientem eorum eſſe. Secundum, Iudicia à Deo non ſolum ſucceſſiuè (vt loquuntur) & lentè, verùm etiam ad iactum oculi & momento vno irruere in eos omnes quos Deo viſum eſt iudiciis infeſtare.

Tertium, Inſtrumenta iudiciorum Dei in cælo, terra, & mari eſſe ad voluntatem eius expeditiſſima, quemadmodum in libro Apocalypſis fingitur, mari Cryſtallino poſito ante faciem eius. In eo autem genere eſſe ventos, prout Pſal. 104. euidenter oſtenditur.

Quartum, iudiciorum magnitudinem aut exilitatem Dei arbitrio temperari.

Quintum, Instrumenta iudiciorum in eas partes incumbere quascumque Deus mandauerit, vt venti in mare.

Sextum, Instrumentorum Iudiciorúmque viam non vnicam aut simplicem: sed multiplicem plurimùm, atque coniunctam à Deo explicari.

Septimum, Eorum amplissima documenta & homines etiam efferatissimos facilè domitantia in fluctibus maris exsistere, Psal. 107.

Octauum, Nullam creaturam vsque adeò sensu destitutam esse, quâ vis iudiciorum Dei non afficiat.

Nonum, Tanta vehementia res quasque affici, vt suo modo ingemant, & quasi consilio ac voluntate naturali cedant vehementiæ flagellorum Dei. Postremum, Eas creaturas non solùm cedere sed (quod grauius est) etiam fatiscere ad sensum iudiciorum Dei. Atque hæc omnia si secundum terminos singularum propositionum ad certas propositiones & argumentationes reuocentur, loci partim contingentes, partímque necessarij assurgent. Exempli causa: Necessarij, qui de Iustitia Dei & rerum natura prædicantur, quia Iustitia Dei est per se immutabilis & sibi constans, Rerum verò natura modo suo immutabilis per principium naturæ à Deo positum: vnde etiam qui necessitatem distinxerũt, hanc absolutã, illam Physicam esse dixerunt.

Hæc eadem instrumenta doctrinæ analytico ordine proposita, ad genus Syntheticum diuerso ordine reuocantur, cum primum hæc ipsa principia singula, siue singularia, vt in historia Ionæ sunt, siue particularia, siue communia ex singularibus iusta methodo colliguntur. Nam quemadmodum ex indiuiduis speciem, ex specie genus ratio colligit: Sic ab exemplo singulari tum particularia, tum communia documenta conficiuntur ratione iusta: Ex omnibus autem inter se comparatis assurgit per Synthesin summa tum narrationis, quæ hoc loco singularis est, tum dogmatis, quod ex narratione singulari conficitur: nempe vt propter culpam Ionæ Iehoua proruit ventum magnum, &c. Sic γνώμην certissimam esse, propter peccata nostra Iehouam proruere ventos iudiciorum suorum administros, procellas excitare, cælum, terras, maria miscere, & res etiam expertes sensus, eò deducere, vt fatiscant, dissiliant, rumpantúrque grauitate iudiciorum eius. Ex hac gnome ad finem assurgitur; siue theoricum, quo hi doctrinæ loci pertractantur, & contrarij redarguuntur: siue practicum, quo hortationes ad bonum, & dehortationes à malo adhibẽtur, siue communem in consolatione positum: quæ omnia pius doctor, pro natura loci & conditione eorum apud quos dicit, accommodaturus est.

Quare

5. *Quare timentes nautæ inclamauernnt quisque Deum suum; proiecerúntque instrumenta quæ inerant naui in mare, vt leuarent se illis: Ionas autem descenderat ad latera nauigij, & iacebat somno sopitus.*

Restat tertius locus, narratio euentorum quæ propter factum Ionæ (de quo versu 3.) facto Iehouæ, quod versu 4. fuit expositum, acciderunt. Horum euentorum duo sunt genera: Nam alia humanitus acciderunt, ad versum vsque 14: Alia diuinitus, versu 15. & sequẽtibus. Euẽtorum quæ humana opera contigerunt, rursum duo sunt genera. Nam prior euentus simpliciter humanus est, versu 5. & 6. posterior cum facto humano diuinam significationem coniunctam habet, versibus sequentibus. Euentus in facto humano dumtaxat positus, in duas partes distribuendus est. 1. enim narratur quid nautæ & vectores singuli fecerint procellâ impellente, versu 5: Deinde verò quid alij in alios, nominatim verò in Ionam ab officio suo æquè in hac re vt in antecedente, aberrantem, versu 6.

Huius itaque versus summa est, euentum hunc ex procella consequutum esse, vt attoniti nautæ omnia fecerint quę in rebus conclamatis & desperatis fieri solent, vno Iona excepto. Finis est, vt procellarum iudiciorúmque Dei vsum inter homines ab horum exemplo teneamus, & à lethali veterno caueamus, cuius exemplum nobis est in Iona propositum. Partes itaque narrationis duæ sunt: vna, quid nautæ fecerint consternati iudicio Dei: Altera, quid Ionas. In priore narrationis parte causa reticetur, quia antecedente versu fuit exposita: facta verò narrantur: Euentus mentio nulla, quia ex sequente euentu altero intelligitur. In hac itaque facti nautarum historia, qui fecerint exponitur, nimirum nautæ. Quid fecerint exponitur tribus locis: Nam primùm perpessi dicuntur consternationem, terrorémque: Secundò, ex cõsternatione singuli Deos suos appellauisse: Tertiò, iacturam fecisse rerum quæ in naui erant: quarum actionum modus est euidẽs: Causa verò, quòd se leuare procellâ, impetrata Deorum suorum gratia, & nauem sarcina cupiebant, vt saluti suæ consulerent. De tempore & loco dubitatio nulla. Posterius factum quod Ionã Prophetam spectat, iisdem ferme locis distinguitur. Nam Ionas tria fecisse dicitur; descẽdisse ad latera nauis, id est, in carinam subter foros nauis sese demisisse, vt vim tædiúmque procellæ minus persentisceret: Secundò, indormiuisse, quamuis excitante procella, diuinitus: postremò, sopori vehementissimo se dedisse vltro, tamquam si indormiscente cõscientia, iudicium Dei persequi hominem desineret. Ex hac hypothesi historica vel narratione theses dogmaticæ conficiuntur istæ.

1. Fieri non posse, cùm manus Dei grauiter attingit, quin homines grauiter afficiantur, terroribus illius mentem quatientibus.

2. Si quod hominum genus durum, ἀναίσθητον, & ferreum est, id esse nautarum genus, qui consuetudine incommodorum videntur omnem iudiciorum Dei terrorem exuisse. Sed ne illos quidem singularia iræ diuinæ testimonia posse eludere quin afficiantur.

3. In rebus deploratis duos esse omnino saluti cōsulendi modos: vnum à Deo, alterum à nobis. A Deo, si petimus vt faciat quod facto opus est: A nobis, si ipsi quod pote est facimus secundùm Deum.

4. A Deo implorari opem ipsius non solùm mente, sed etiam clamoribus, quos in omnibus ciet natura, in sanctis fides.

5. Eos qui natura duce inclamant opem diuinam communiter & singulariter, plurimum à scopo ad quem contendunt aberrare, qui non ad verum Deum, sed ad suum ipsorum: non ad vnum, sed ad multos solent confugere.

6. A nobis in rerum difficultate duo videnda esse: vnum, vt rebus aduersis quæ in futurum minantur ita occurramus vt præsentia impedimenta quamuis damno nostro aboleantur: alterum, vt præsentes patientia & fortitudine inuicta toleremus.

7. Vt quæ mala non possumus corrigere, saltem pro eo ac possumus diligenter alleuemus.

8. Qui neque voluntati Dei, neque iudiciorum grauitati cedunt, eos frustra aduersus stimulum calcitrare.

9. Nam & conscios sibi esse, non posse manum Dei propulsari à se: & si quid tranquillitatis & otij à iudiciis Dei sibi spondeant, ea pura puta esse vigilantium somnia.

10. Latebras quidem procurare, & somno conscientias suas, quo ad eius fieri potest, soporare: Sed intus inesse vel dormientibus stimulum cōscientiæ, & foris accedere manum Dei, siue iudiciis suis, siue hominum opera studióque vellicantem.

6. Sed propinquans ad eum nauclerus, dixit ei, quid tibi est somnolente? surge, inclama Deum tuum, si fortè suscipiat cogitationem Deus ille de nobis, vt non pereamus.

Expositio communi officio ad eos qui rebus suis planè diffidūt pertinente, transitur hoc versu ad singulare officium quod ab hominibus Deum igonorantibus, nautis, Ionæ Prophetæ fuit imperatum. In hac itaque narrationis parte iidem historiæ loci, quos ante vidimus, expendendi sunt. 1. Quis auctor facti quod hoc loco narratur, nimirum Nauclerus: qui postquam nautis vectoribúsque omnibus suas partes in tanta

in tanta procella mandauisset, vnum illum vectorem Ionam non duxit in communi periculo sinendum vt erat: quod officium magis ad Nauclerum quàm ad socios nauales pertinet, quia horum singuli erãt occupatissimi in singularibus suis operibus, Nauclerus verò omnium inspector est. Secundus locus est, quid hic fecerit, nempè quod & reipsa Ionam accessit pulsaturus, & sermone ad officium prouocauit: his tertius locus accedit, modus, quòd idem accessit Ionam vt eò magis afficeretur auctoritate illius, ac nõ obloqueretur, vt facilè fit ad mandata administrorum: Deinde verò quòd grauiter compellauit, tum oscitantis hominis somnolentiam exprobrans, atque obiurgans, tum verò officium illi mãdans, quod nemo bonus in tanto discrimine potest subterfugere, vt inclamet Deum suum. Quartus locus, de causis, duabus partibus continetur: prior est, quòd Ionas sopore alto oppressus indormiuerat, quòd in communi periculo reprehendendum est: Posterior, est vera causa finalis mandati istius, quòd hac quoque ratione experiundum esset, vtrum interuentu Ionæ Deum exorare & salutem obtinere possent. De tempore & loco eadem cum antecedentibus ratio. Huius itaque narrationis finis est, vt intelligamus neminem in communibus periculis segnescere, aut segnescentem per alios ferri oportere: Summa, Ionam in communi periculo dormientem fuisse excitatum, vt de communi salute Deum appellaret. Partes sunt, Narratio facti, quòd Nauclerus hominem accessit, & narratio dicti, reliquo versu. Dictum autem vel sermo Naucleri duabus partibus concluditur, reprehensione, & hortatione. Reprehensio his verbis facta dicitur, *Quid tibi est somnolente?* quibus verbis bifariam Ionas reprehenditur: tum quia κάθος obiicitur, quòd somnolentus est; tum quia causa quæritur, tanquam si diceret Nauclerus aliquo Ionæ facto accidisse vt ita iaceret somno obrutus, quemadmodum fit iis qui plus satis genio, crapulæ & ebrietati indulserunt. Hortationis similiter duæ sunt partes, mandatum, & finis vel causa mãdati. Mandati verba sunt hæc, *age, surge, Inuoca Deum tuum*, nempè vt cum aliorum omnium exemplo, tum præsente necessitate cogi te oportuit. Causa finalis his verbis continetur, *fortasse cogitationem initurus est Deus, &c.* tanquam si diceret duo à se & suis desiderari, gratiam Dei, & salutem ex gratia: quæ duo magis optare se posse putabant quàm à Deo consequi. Quapropter dicebat ille, *fortasse Deus, &c.* Ex hac hypothesi historica eliciuntur theses dogmaticæ, hoc modo:

1. Etsi commune singulorum officium est vt de sua & communi salute laborent, tamen in vno eodémque opere ordinem postulare, vt hi hoc modo, illi illo, saluti communi inseruiant secundùm vocationem suam.

2. Maximè vbi mandato & auctoritate opus est, non esse has partes cuiuis de grege committendas, ne mandata respectu personæ negligantur, eáque ratione interuertatur commune bonum: sed qui auctoritate possunt, eos teneri in rebus eiusmodi pericula præcauere quæ ex neglectu hominum plerumque accidunt.

3. Huic ordini in rebus gerendis plurimùm dignitatis etiam accedere, si non solùm personæ mandent quarum mandare est, verùm etiam honestè & cum dignitate mandẽt, prout hîc Nauclerus iste Ionam dicitur accessisse.

4. In mandatis duo semper videri oportere: vnum, vt quod malum est corrigatur: alterum, vt quod bonum imperetur.

5. Ad correctionẽ mali duo hæc maximè pertinere: tum vt actus ipse malus reprehendatur, tum vt tollatur causa quæ mali effectrix esse videbitur.

6. Non tollatur autem causa sine cognitione certa: quia plus damni adfert medicina adhibita citra cognitionem causæ, quàm si diligenter antè cognoueris, & ad cognitionem assequendam aliquantisper distuleris.

7. Hortationum quæ sanctæ, iustæ, & legitimæ sunt, duo membra esse semper oportere: rem putà ad quam hortamur, & causam illius.

8. Hortantes ad rem iustam & necessariam duo desiderare: vnũ, vt ij quos hortamur se antè comparent: Alterum, vt comparati opus iusta fide ac diligentia curent ad quod prouocantur.

9. Finium ad hortationes pertinentium duo esse genera: Nam alios fines esse in manu nostra positos, alios in aliena.

10. Qui in aliena positi sunt facultate, eos aut penes creaturas esse, aut penes creatorem immediatè.

11. Qui penes creaturas sunt, de iis dubitari non iniustè posse, quia non omnia sciunt, volunt, aut possunt creaturæ.

12. Qui in manu Dei immediatè sunt, & ab ipso vno exspectantur, de iis infideles dubitanter loqui: sed fideles certa fiducia rem debere Deo committere, qui omnia scil. vult, & potest ad suorum bonum.

7. *Deinde dixerunt alter alteri, agite, proiiciamus sortes; vt cognoscamus cuius causa malum hoc est nobis: & quũ proiecissent sortes, accidit sors Ionæ.*

8. *Cui dicentibus illis, indica iam nobis cuius causa malum hoc nobis est: quæ*

eſt: quæ eſt ars tua? & vnde venis? quæ eſt regio tua? denique ex quonã populo es?

Priorem euentum ex procella diuinitus immiſſa conſequutũ duobus verſibus ex narratione Ionæ ante cognouimus: nempe quòd nautæ vectoréſque ſinguli omnia peregerunt diligentiſſimè quæ in rebus deſperatis fiunt, & Ionam dormitãtem ad officium idem protruſerũt. ſed quia totius illius laboris moleſtiſſimi nullus omnino fructus cõſequutus eſt, eum euentum Propheta in hac narratione diſſimulat qui ex ſequente narratione neceſſariò intelligendus eſt. Nam ad ſecũdum conſilium minimè tranſiuiſſent, ſi anteçedẽs vtile fuiſſet, fructuoſúmque ex optato ipſorum. Propterea hoc loco Propheta ad narrationem ſecundi euentus tranſit, ad cuius euentus indagationem nautas ſalutis neceſſitas impulerat. Itaque huius narrationis finis eſt, vt omnes intelligant rebus deſperatis non eſſe deſperandũ de ope auxilióque Dei, ſed eo importuniùs ſolicitari Deum oportere, & omnia mouenda ſecundùm Deum, vt ſaluti conſulatur cùm priuatæ, tum verò publicæ. Summa verò eſt, nautas animaduertentes ſe nihil precibus exorare, aliam viam iniuiſſe vt à malo ſeſe purgarent, cuius cauſa ſtatuebãt Deũ ſibi fuiſſe inexorabilem: ac propterea de malo perueſtigando, cognoſcendo, & purgando quàm diligentiſſimè laborauiſſe. Huius itaque narrationis partes ſunt tres: Nam primùm quæſtio inſtituitur de malo cui infenſum credebant eſſe Dominum, verſu 7. & 8. ſecundò cognitio mali & pœnæ de auctore mali repoſcẽdæ inſtituitur, ad verſum vſque 12. poſtremò narratur exequutio verſu 13. & duobus ſequentibus. Ad quæſtionem de malo pertinet primùm conſilium de habẽda quæſtione, priore parte verſus 7. Deinde modus quæſtionis habitæ, altera parte verſus, & ſequente verſu. In vtroque, loci ad narrationem pertinentes ſunt obſeruandi: Primùm qui egerint in hac cauſa, putà alij cũ alijs. 2. quid egerint, nempe quod dixerunt & conſilio inter ſe habito deliberauerunt. 3. Quomodo, quod dixerunt alij alijs, id eſt, commune conſilium cœperunt in communi cauſa quç omnes tangebat, vt vulgo dici ſolet. 4. Qua cauſa, nempè quòd omnia antecedentia fruſtra à ſe tentata & effecta eſſe animaduerterent, ac proinde in feruore iræ ſuæ perſeuerare dominum ſtatuerent: poſtremò quo tempore & loco, nimirum tempore deploratiſſimo, & loco eodem, in quo exitũ præſentiſſimum ſibi intentari ab ira Dei animaduertebãt. In facto verò, quo ſumma conſilij exponitur, duæ partes nobis tenendæ ſunt: ſubſtantia conſilij (vt vocant) & finis illius. Subſtantiam conſilij oſtendunt hæc verba, *proijciamus ſortes*: finem conſilij iſta, *vt cognoſcamus quo cuius*

facto malum istud nobis obuenerit vtrumque membrũ antecedit vehementissima ex re præsente hortatio, quia in causis eiusmodi nõ est cũctationi locus; sed adhibendum potiùs, quod vulgò dici solet, in arena consilium. In vtraque autem autem parte consilij quæstiones nonnullæ accidunt, de quibus quàm breuissimè dicturi sumus. In substantia enim consilij quæstiones oriuntur duæ: vna, de sortitionibus: Altera, de his hominibus, vtrum sortitione vsi sint legitimè. Sortitionem igitur (vt de priore quæstione dicamus) rem mediam vel indifferentẽ esse, id est, quæ aut bona aut mala esse potest, vel scripturæ sacræ exẽplis demonstratur: quorum alia bona & laudabilia sunt, alia verò reprehẽsione digna. Vt autem bonæ sortitiones à malis distinguãtur, tres gradus commodè statuemus: primus est, quo ex fonte profluant: secũdus, quo modo: tertius, quo fine: Nam prout hęc tria simul bona sunt, sortitiones bonæ; prout verò mala, aut tria hæc, aut pauciora de tribus, sortiones malæ dicendæ sunt.

Fons bonus est Deus, & quisquis agitur Dei testimonio; vt contrà fons sortitionum malus est non solùm Diabolus, sed etiam quisquis citra Dei testimonium sese in sortitionibus occupat. Modus bonus est qui secundùm Deum adhibetur sine pietatis & iustitiæ fraude: malus, qui contrà: Finis sortitionum bonus est, qui aut ad demonstrandam pietatem veritatémque Dei, aut ad charitatem pacémque pertinet; vt contrà sortitiones, si quæ præter hunc finem adhibentur, omnino iniustæ sunt: Nam sortitio res religiosa est. Sortitionis religionem ex comparatione demonstramus, hoc modo: Quæcunque dubia sunt, aut per cõtrouertentes dirimuntur iudiciorum forma, aut per vnum ex controuertentibus iurisiurandi religione, aut denique per auctoritatẽ Dei religione sortis: quam rem tum exempla in scripturis sacris demonstrant locupletissimè, tum sapientis authoritas Prouerb. 16, In sinum, inquit, proijcitur sors, sed à Iehoua est tota ratio illius: ac prout in iureiurando religionem diuini nominis, ita in sortiendo religionẽ diuini operis iusta reuerẽtia oportet obseruari. Vtrum his hominibus sortitione vti licuerit, tum ratione, tum exemplo facile est cõcludere. Ratione; quia commune à natura homini perfugium datum est, vt in ijs rebus cognoscendis dominum adeat quæ humanitus indagari & perueſtigari nõ possunt. Eiusmodi autem fuit causa quæ hic agebatur. Exemplo autem, quia in rebus etiam minoribus & cum hac re minimè comparandis sortem adhiberi, & iure adhiberi posse, tum sapiens Prouerb. 16. ostendit; tum exempla confirmant, velut cùm de communi diuidendo ageretur & inter Israelitas in attribuẽdis hæreditatibus per Tribus factum est à Iosua ex mandato Dei, Numerorum 26. neque

refert

refert quòd isti homines fuerunt ignorantes Dei, ex quo sequitur eos per fidem sortitione vti minimè potuisse. Nam sortitionum ratio duplex est: vna ex naturali, altera ex supernaturali luce. Luce naturali, quã fidem communim possumus appellare, sortitionem etiam infideles adhibent, qua testimonium habent à natura inscriptum suæ conscientiæ de potentia æterna & veritate Dei: luce verò singulari, quam fidei lucem appellamus, siue iustificãtis, siue aliquam singularem Dei promissionem, donum, vocationem mandatúmque prehendẽtis, tanquã maiore luce lux minor, quam naturalem dicimus, comprehẽditur. sed vtrauis luce quicũq; prædíti sunt, legitimè sortitionẽ adhibere possũt. hic verò causa cũ fuerit grauissima, nõ dubiũ est, quin præeunte naturali luce consiliũ de sortitione ceperint: ac forte etiã (quod mihi quidem probatur) singularem quandam lucem & testificationem à Deo habuerint. In fine autem consilij altera quoque emergit quæstio, quomodo, quo iure & auctoritate potuerint tam præcisè finem circumscribere sui consilij, dicentes, *vt cognoscamus quo cuius facto malum nobis istud obuenerit*. Responsio ex proximè precedente quæstione pẽdet: nempe ab eadem fide circumscriptionem huius finis profectam esse, vnde consilium de quo proximè dicebamus. His positis, & Iona sortitione deprehenso, altera parte versus septimi, ad alterum quæstionis locum veniamus. Nam quæstionis membra duo posita sunt: prius de homine cuius causa Deus procellam immiserit: posterius de facto hominis, quia cognitione facti ad cognitionem remedij, quo ira Dei expiaretur, fuit veniendũ. Postquam igitur quæstio de homine sortitione cõclusa est, vers. 7. quæstio de facto hominis proponitur. vers. octauo. Quæstionis autem huius duo sunt membra: Nam primùm de singulari facto quæritur, propter quod procella diuinitus oborta est, priore membro versus: Deinde verò quæstiones communes adferuntur, quæ viam sternerẽt ad singularis illius facti peruestigationem: Ex quo videtur Ionas, quamuis sortitione compertus, tamen confessionẽ facti sui aliquantisper refugisse. In singulari autem quæstione duo euidentissima sunt humanitatis documenta, qua humanitate isti in Ionã reum compertum vsi sunt, & quæ hoc tempore meritò eos pudefactura est qui in sua inhumanitate & perturbatissimis afflictorum afflictionibus Christiani audire volunt. Prius humanitatis documentum est, quòd reum compertum deditũque in manus suas tam blandè appellant, & rogant vt confirmatiore animo de bona voluntate ipsorum sibi sponderet, *Indica, quæsumus, nobis, &c.* Alterum testimonium est, quòd ne sortitione quidem cõpertum Ionam reum audent appellare; sed potius reatus, si fortè, consortem aut consciũm, his verbis, *Quo cu-*

ius facto malum istud, &c. tanquam si dicerent: reuelata quidem est super te ira Dei, quam nullo pacto potes repellere: sed tamen fieri potest, vt hæc ipsa ira tibi superuenerit non propter scelus tuũ, sed propter alieni sceleris consortium & conscientiam, aut contagionem aliquam: non est nostrum de te seuerè iudicare: quicquid est itaque nobis publicè aperi. Atque hoc argumentum est bonæ conscientiæ, & iustitiæ humanæ, quam colebant isti: cuiusmodi iustitiam de Ioseph virginis Mariæ viro Mathæus prædicauit capite 1. Euangelij, dicens, Ioseph autem, vt qui iustus esset, nollétque eam traducere, cogitabat eam clàm relinquere. Communes quæstiones ponuntur quatuor: prima, de arte vel occupatione hominis: Nam sæpe fit vt opera & occupationes sint damnabiles & exosæ hominibus: secundò de ratione itineris, *vndenam aduenis?* Tertia de patria, *quæ est regio tua?* Quarta de gente siue parentibus: quæ omnia in rebus forensibus diligenter obseruari solent, vt rei veritas his tãquam adiumentis recognosci queat. Etsi (vt principio huius versus diximus) tota hæc quæsitionis ratio ὕστερον πρότερον posita est: nempe vt eò commodius ordo responsionis à Iona allatæ cum quæstionum ordine comparetur: quem ordinẽ veneranda antiquitas memoriæ iuuandæ causa obseruabat, & auctores quoque profani quò vetustiores, eò diligentiores fuerunt in hoc ordine obseruando.

Ex hac hypothesi secundùm thesin conficiuntur documenta hæc.

1. Omni cognitioni, dictioni sententiæ, & exsequutioni, vt res ordine conficiantur, iustam quæstionem in rebus aut ignotis, aut obscuris & dubiis præire semper oportere.

2. Iustam quæstionis viam esse, primum vt (quoad eius fieri potest) per media humana inuestigetur quæstio: secundò, vt mediis humanis destituti, in quæstionibus humanis, Deum ratione iusta ac non temerè consulamus.

3. Deum consulendi modos alios communes esse, alios singulares & extraordinarios: communem esse sortem: singulares & extraordinarios esse quoscunque Deus singulari mandato aut testificatione Spiritus probauerit.

4. His omnibus præire consilium apud homines oportere: Nam ne in rebus quidem leuioribus inconsulta facta à Sapientibus probari posse.

5. Consilia autem capi ab iis & cum iis oportere, qui scientia, facultate, & vocatione in eadem naui sunt: aut (si diuerso loco sunt) tamen pro scientia & dono quod acceperunt in consilium vocari possunt.

6. In

6. In omni consiliorum communicatione præsentem animum adhiberi oportere, quia sine hoc plurimum consultationes imperfectæ sunt.

7. Consilia aut de facto, aut de iure agitari.

8 In quæstione de facto primùm de persona, secundò, de re gesta & modo illius, Tertiò, de causa quæri diligenter oportere.

9. In quæstione de iure si malefactum est, naturam id postulare, vt in fauorem reorum accipiamus, enunciemus, faciamúsque quicquid citrà fraudem iuris & æquitatis indulgeri potest.

10 Hanc enim cõmunem esse legem a natura mentibus inditam (vt August. vtamur verbis) malum tolli, hominem seruari.

11. Quibus in rebus ad consulendam Dei testificationem ventum est, omnino stari indicio eius oportere: quandoquidem res etiã ab hominibus indicata pro veritate haberi solet.

12. Sed tamen in hac testificatione videndum esse diligentissimè, vt omnis fraus quæ ab hominibus facilè superuenit, planè abfuerit.

13. Vbi de persona testimonio Dei constiterit, ad quæstionem facti veniendum esse.

14. Eum ipsum qui reus testimonio Dei compertus est, probè explorandum.

15. Explorationis modum secundum charitatem esse, vt ex ipso intelligatur reus ne, an consors, an verò contaminatus aliqua contagione mali sine sua graui culpa esse videatur.

16. Ad has res peruestigandas plurimum adiumenti adferre obseruationem circunstantiarum, ad reos pertinentium: prout vulgo in quæstionibus forensibus obseruari solet, & Rhetores quoque in locum de personis plurimum retulerunt.

9. *Dixit illis, Hebræus sum: & Iehouam Deum cælorum ego reuereor, qui fecit mare & aridam.*

10. *Tunc timentes homines illi timore magno, postquàm dixerunt ei, ecquid feci sti? quum cognouissent homines illi eum à conspectu Iehouæ fugere, quia indicabat ipsis.*

Quæstioni de facto subiicitur alter locus, qui in re forẽsi cognitio appellatur. Cùm autem cognitio aut ex testimoniis, aut ex reorum confessionibus obtineatur, hîc primùm rei confessio, versu 9. Deinde amplitudo rei confessæ ex euentu, versu 10. ostenditur. Confessionis, qua Ionas reus à Deo peractus vtitur, duæ omnino sunt partes: quarum vna, posteriori membro quæstionis respõdens, ponitur versu 9.

Altera autem reticetur, quia in narratione euentus ſatis apertè demonſtratur ſequente verſu. Ad priorem cõfeſſionis locum duo pertinent. Nam primùm reſpondet Ionas ad quæſtionem, proximè præcedentẽ, ſe populo Hebræum eſſe: Deinde ad quæſtionem, quod opus ipſius aut inſtitutum vitæ, reſpõdet ſe *Iehouæ ſeruum* eſſe, illius nempe *qui cælum, terram, & mare fecit*, & qui è cælo proſpectat, ſuſtinet, regit omnia prouidentia ſua, vt vel ex hoc ipſo ſingulari facto Ionas ſibi cõſcius agnoſcebat. Deum itaque cuius ſe adminiſtrũ prædicat, circũſcribit Propheta duobus modis: primùm reſpectu gratię & fœderis cũ Abrahamo initi, quæ res intelligitur ex relatione vocũ quibus federati inter ſe appellantur, Deus putà & populus Hebræorũ. Secundò autẽ ex natura, primùm eſſentiæ diuinæ in ſe, vt qui Iehoua ſit; Deinde operationum à natura eius proficiſcentium, putà tum prouidentiæ potentiſſimè operantis qua Deus cælorum eſt, tum verò creationis, qua fecit mare & terram, & ex qua iure prouidẽtiſſima vtitur adminiſtratione. Altera pars reſponſionis, qua Ionas agnouit factum ſuum atque confeſſus eſt, & ſi hoc verſu reticetur, tamen ex ſequente facilè intelligitur, prout nominatim auctor id reſponſi à Iona fuiſſe datum poſteriore membro verſus oſtẽdit euidenter. Vt ergo ad ſecundum cognitionis locum tranſeamus, qualitatem facti quod Ionas cõmiſerat duobus modis intelligimus ex priore parte verſus; poſteriore, cauſa exponitur. Prior modus eſt, quòd ex auditione facti homines iſti timore perculſi ſunt, eóque vehementi, cuiuſmodi terror apud homines qui mente ſibi conſtant nõ niſi ex grauibus cauſis ingenerari ſolet: poſterius teſtimonium eſt à ſermone ipſorum, cum graui illo terrore affecti eundem terrorem animo Ionæ conati ſunt injicere, dicentes, *quid hoc eſt quod feciſti?* tanquam ſi dicerẽt, non ſatis eſſe ſi Ionas factum ſuum ex veritate agnouerit, ſed etiam ex rei grauitate expendi illud oportere: quemadmodum etiam Rhetores videmus in cauſarum de facto controuerſiis non ſolùm quid factum ſit, verùm etiam quale ſit diligenter obſeruare. Vtrumque verò ad iuſtam cognitionem pertinet, quam ſemper ius & æquitas poſtulat dictioni ſententiæ præmitti, vt re vera iuſta ſit, & ipſa hominis qui reus eſt conſcientia iuſtitiam ſententiæ quæ dicẽda eſt probet ſua ipſius teſtificatione. Vtriuſque verò cognitionis cauſam, de facto inquam & de qualitate ipſius, oſtendit auctor verbis ſequentibus, dicens, *poſtquam agnouiſſent Ionam fugere à conſpectu Iehouæ*. Agnouiſſent autem, non ex ſorte, aut diuinatione; ſed ex ipſius iudicio ac confeſſione. Nunc ad dogmata in theſi veniamus: Documenta igitur hæc ſunt.

1. Certiſſimam cognitionis viã in reorum confeſſione poſitã eſſe, niſi

nisi forte rei sint eiusmodi qui mortem vltro pro solatio petant.

2. Confessioni reorum, aut probationes, aut præsumtiones vehementissimas adiungi semper oportere.

3. Probationum præsumptionúmq; locos ex circumstãtiis personarum, rerum, temporum, & similibus petendas esse.

4. Maximi momenti eas confessiones esse, quæ cum Dei reuerẽtia, & iustitiæ illius conscientia, coniunctæ sunt.

5. Grauissimam siue probationem siue præsumptionem à rebus creatis accedere, cùm in omnium oculis constat eas iusto Dei iudicio confirmari.

6. Ex his rebus vnà cõcurrentibus fieri non posse, quin reuerẽtia Dei & terror maximus inuadat eorum mentes qui ad Dei iudicia attenderint.

7. Ex obseruatione iudiciorũ eiusmodi bonos omnes cũ in seipsis affici, tum verò operam dare vt alij secum afficiãtur: præsertim vt qui rei malefacti illius comperti sunt, grauitatem sui maleficij sentiant.

8. Hanc conscientiam malefacti proximum esse (vt vocant) præparatorium ad sententiam iustè ferendam, & ab eo qui reus est ἀνταπαίτησις, perferendam.

11. *Dixerunt ei, quid facturi sumus te, vt conticescat mare ab infestandis nobis? nam mare magis ac magis procellosum erat.*

12. *Qui dixit eis, tollite me, & proijcite me in mare, vt conticescat mare ab infestãdis vobis, nam agnosco propter factum meum procellã maximam hanc infestare vos.*

Post quæstionem & cognitionem facti ordo postulat vt ad sentẽtiæ dictionem veniatur: Ad iustam autem dictionem sentẽtiæ testimonia variè exhibentur à Domino, siue ordinariè, à natura & documentis eius, siue extraordinariè ex singulari reuelatione verbi. Cùm autem factum hoc extraordinarium fuerit & ordinariam hominum cognitionem exsuperans, non potuerunt isti quin viam extraordinariam in sententia dicenda peruestigarent: est autem via extraordinaria, quę extra ordinẽ à Deo ostenditur, siue immediatè, vt sæpè in Vetere Testamento factum; siue mediatè, vt per Prophetas de singulari eius reuelatione respõdentes. Hanc posteriorem viam nautæ inueniunt, cùm & Dei manum sibi imminere & Prophetam Dei adesse agnoscerent. quapropter duobus nominibus consiliũ istud de Iona sententiã rogãdo iniuerunt: primùm eo quòd reus esset, vt ipsius conscięti am magis recognoscerent, vtrum seriò nec ne grauitatem sui maleficij persentisceret: Secũdò verò, ídq; maximè, quòd Dei Propheta esset, quia sta-

tuebant illum in re præsente non solùm vt hominem pro conscientia, sed (quod amplius est) vt Prophetam pro voluntatis diuinæ reuelatione rectissimè iudicaturum esse quid facto opus. Finis igitur est, vt iustè iudicent de maleficio & iudicatum exsequantur: Sūma est, Homines iuris istius extraordinarij ignorantes os Dei consuluisse per Prophetam, quāuis reum, vt certi essent de sententia Dei. Partes duæ sunt: Vna, rogatio sententiæ, versu 11. Altera, dictio sententiæ, versu 12. Rogationem sententiæ auctor exprimit tribus membris. Nam primùm quid facto opus, rogatur Ionas: Secūdò, finis cōsultationis: postremò, causa (vt vocant) impulsiua ponitur. Sententia rogatur his verbis, *Quid facturi sumus te?* Finis exponitur illis, *vt conticescat mare ab infestandis nobis:* Causa impulsiua his, *Quia mare magis ac magis impellebatur.* Huic quæstioni subijcitur sua responsio versu 12. qua Ionas in seipsum sententiam diuinam pronunciat, non solùm ex conscientia vt reus, sed (quod amplius est) vt Propheta ex singulari reuelatione. Sūma respōsionis est, Ionam à Deo & à se ipso damnari, vt in mare proijceretur: finis, vt aliorum saluti consuleretur. Partes itaque sunt hoc versu duæ: Nam priore membro sententia dicitur; posteriore verò, fundamentū illius sententiæ. In sententia dicenda duo cōcurrunt: summa sententię, & finis illius. Summa sententiæ his verbis ponitur, *tollite me & proijcite &c.* Finis illis, *Et conticescat mare, &c.* Totius vero huius sentētię fundamentum est cōscientia Ionæ, tum naturæ luce, tum singulari reuelatione euicta omnibus periculū minari propter singulare factum ipsius. His verò tertium quiddam præterea adijciendum est, cuius viā nobis in Euangelio aperuit Christus: nempe in actione hac Ionā fuisse diuinitus institutum vt typum Christi gereret, & adumbraret quodammodo resurrectionem illius: cuius mysterij siue conscius apertè fuerit Ionas, siue inscius, omnino tamen instinctu singulari ad hanc rē motum fuisse oportuit. Etsi inter typum veritatémque magnū discrimen est: Nam Christus, qui peccatum nesciebat, factus est peccatū, & mortuus pro omnibus: hic verò afficiebatur peccati sui conscientia, & apertè fatebatur dicēs, *Nam conscius ego sum.* Ex hac autem hypothesi & singulis partibus illius documenta hæc eruimus.

1. Non esse temerè sententiam vllam in quenquam efferendam.

2. Si cui de sententia ferenda non constat, eos cōsulendos de quorum iustitia peritiáque constare potest.

3. Potentissimam autem illam rationem esse, si aut os Dei per seruos eius consulitur, aut rei ipsi sua dictante conscientia legem in sese tulerint.

4. Sed hoc posterius non nisi duabus cautionibus adhibitis posse occu-

se occupari: vna, si ipsi conscientia bene constituta ac non perturbata dixerint. Altera, si Deum testem illius suæ sententiæ habuerint.

5. Omnino tamẽ in communibus periculis, quæ propter aliquod factum acciderint, reos plecti oportere, ad tollẽdam tum peccati, tum verò suppliciorum ex peccato & contagione illius communicatione.

6. Quo amplius Dei iudicia exerũtur, eo amplius commune hominum sollicitari vt malum tollant è medio sui.

7. Quòd si malum capite alicuius & vita luendum est, religiosẽ singularibus suppliciis communi periculo obsistendum, & salutẽ publicam procurandam esse.

8. Horum omnium testem esse locupletissimam conscientiã hominum, tum communi natura duce, tum singulari Dei testificatione institutam.

13. *Tunc remigantes homines illi vt reducerent nauem ad aridã, quũ non potuissent: quia mare magis ac magis procellosum infestabat eos.*

Cognitionem sententiæ sequitur exsequutio, versu. 14. & sequente. sed quia exsequutionem huius sentẽtiæ miseri isti incertíque nautæ in dubium vocabant, nec dum cum animis suis satis potuerãt constituere ita facto opus esse vt Ionas indicauerat: idcirco exsecutionem istius sententiæ, quam humanè moliebãtur, præcedit narratio facti singularis, hoc versu: in quo finis hic nautis erat propositus, ne quid cõmitterent impiè aut inhumaniter, vel periculo salutis suæ.

Summa verò est, illos remis velísque contendisse vt oram legerent, séque ab inhumano & iniusto facto abstinerent. Duo itaque narrãtur hoc versu: factum ipsorum, & euentus. Ad priorẽ locum pertinẽt duo hæc: vnum, quid fecerint, nempe quòd remigio contenderint, si forte ad litus possunt appellere: alterum, quo consilio, nempe vt ad terrã appellerent, vitæ suæ aliter quàm morte hominis à quo nulla iniuria affecti essent consulturi. Euentus vero omnium conatuũ hic fuit, quòd non potuerint ad litus appellere: Causa, iudicium Dei instantis in Ionam, eósque disijcientis per altum, vt tandem sentirẽt hanc vnam salutis viam à Deo sibi apertam esse. Documenta hæc sunt:

1. Tam charam nobis hominum vitam esse oportere, vt omnia prius tentemus quàm eam vocemus in discrimen.

2. Hanc esse humanitatis legem, qua tantisper obstringimur donec videamus aliam viam secundùm Deum nullam exsistere.

3. Aliam viam à Deo intercipi, & necessario vitã hominis in pẽriculum vocari oportere, Si aut iure aliter non potest, aut facto Deus aliam rationem omnem præripit: prout hoc loco factum est procel-

lis à Deo testificantibus.

14. *Inclamauerunt Iehouam, dicentes, obsecramus Iehoua, ne iam pereamus pro anima viri istius, & ne reponas nobis sanguinem innoxium, nam tu, Iehoua, quemadmodum vis facis.*

15. *Deinde tollentes Ionam proiecerunt eum in mare, desititque mare ab æstu suo.*

Huius narrationis postremus locus, qui in exsequutione sententiæ positus est, duobus versibus traditur. In hac autē narratione finis nautarum vectorúmque hic tenēdus est, spectauisse illos vt ab omnis mali crimine & suspicione liberi essent, & bona fide ea perficerent quorum necessitatem sibi à Deo impositam arbitrabantur. Summa est, illos precibus à Deo contendisse, vt tum in hoc consilio tum in facto ipsorum Deus illos insontes haberet, tanquam huius facti auctor, cuius facti veritatem aut æquitatem ipsi capere non satis potuerant. Partes itaque duæ sunt: vna, qua Deum orāt supplices vt ab omni culpa liberet ipsos, eámque recipiat in se (si qua est) cùm ab ipso necessitas proueniat, versu 14. Altera, qua facto ipsorum probato corā Domino, sententiam à Deo testatā, & Prophetæ verbis expositam, ipsi exsequuntur, versu 15. Cùm autem narratio hæc causas, consilia & facta, & euēta cōplectatur, primùm narratur cōsilium precatione, versu. 14. Deinde factum & euentus illius proximus, versu. 15. exponitur. Ad vtrūque loci pertinēt quos ante docuimus in narrationib. obseruari oportere. Nā primò de personis constat. Secūdò, factum in deprecatione positū priore parte orationis continetur: tertiò, modus ostenditur his verbis, *inclamauerūt Iehouā dicentes*: postremò causa in posteriore mēbro orationis vel membro versus altero adfertur euidētissimè, *Nam tu Iehoua vt vis facis*. Ac proinde modus deprecationis in inclamando positus tum necessitatem ipsorum, tum fiduciam in Deum testatam facit. postea verò substantia deprecationis, priore membro versus; causa posteriore ostenditur. Deprecationis substantia est duplex, dilemmaticè positis rebus quæ vitio verti potuissent nautis in hac submersione Ionæ. Nam primùm Deum orant ne ipsi pereant propter Ionā, prout hactenus minari visus fuerat Dominus: Deinde quia sententia fuerat lata testimonio Ionæ, petunt, si fortè Ionas est innocens, ne qua in se culpa reijciatur facti. Innocentem autem dicunt, non simpliciter, quia constabat apud illos neminem innocentem esse coram Domino, & singularem aliquam culpam in Iona residere, cur ipsum persequeretur Deus: sed innocentem appellant κατὰ τὶ, nimirum respectu sui, cū ab eo homine nullam iniuriam accepissent. Causa vero huius postulati con-

continetur illis verbis, *Nam tu Iehoua quemadmodum vis facis.* In hac itaque narratione: hæ theſes dogmaticæ omnino continentur:

1. In rebus omnibus dubijs, ſiue facto, ſiue iure, certiſſimũ teſtem iudicémque eſſe dominum.

2. Propterea ab hominibus, quorum in dubio eſt animus, eum adiri & inuocari oportere.

3. Imprimis autem cùm graues cauſæ ſunt, & in quibus pietas, iuſtitia, charitas agitur, non eſſe committendum vt temere à nobis inſtituatur quidquam; ſed quo ad eius fieri poteſt veritas facti & iuris teneatur.

4. Quòd ſi veritatem facti perueſtigare non poſſumus: tamen Dei iudicio, cùm aut verbo reuelatum eſt aut opere, acquieſcendum eſſe.

5. Quòd ſi etiam Deus nos iuſtitiæ ſuæ adminiſtros eſſe voluerit cauſa à nobis incomperta, tum ſeria precatione & teſtificatione innocentiæ noſtræ, animíque ab omni offenſione vacui, ad opus quod Deus imperat accingi oportere.

6. Ad hanc rem duo opus eſſe: ſimplicitatem conſcientiæ noſtræ vacuæ omni perturbatione, & ſingularem cognitionem diuinę voluntatis.

7. Penes Iehouam enim ſingularem cognitionem eſſe atque infinitam, ſecundùm quam per Eſaiam teſtatur, quanto à cælis terra ſuperatur, tanto vias noſtras à viis illius, iudiciáque noſtra ab illius iudiciis ſuperari.

Narratio facti & euentus verſu 15. continetur: facti, quòd Ionam ſuſtulerunt proiecerúntque in mare: Euentus, quòd mare conticuit à feruore ſuo, poſtquam Ionam ex voluntate Iehouæ reuelata in mare proiecíſſent. hiſtoriæ de facto documenta cum verſu præcedente coniuncta ſunt. Ex euẽtus proximi hiſtoria duo maximè documenta erui neceſſe eſt: Vnum, Iehouam mari & ventis imperare non autem Deos vllos vt antè: Alterum, Iehouam vbi iudicia eius exercentur & præſtatur obſequium reuelatæ voluntati eius, etiam in cauſis ſingularibus exorari, exoratúmque ſe ex facto oſtendere.

16. *Quapropter reueriti ſunt homines illi reuerentia magna Iehouã: & ſacrificauerunt ſacrificium Iehouæ, vouerúntque vota.*

17. *Parauerat autem Iehoua piſcem magnum, qui abſorberet Ionã: fuítque Ionas in viſceribus illius piſcis tribus diebus, & tribus noctibus.*

Narrationem ſententiæ diuinæ à nautis effectæ proximè ſequitur narratio euentorum quæ ex illa exſequutione conſequuta ſunt. Ac pri-

mus quidem & proximus euentus sub finem præcedentis versus positus est, quòd resedit mare à feruore suo. Sed duo præterea euenta subnectuntur: quorum vnus est, quid nautis euenerit, versu 16. Alter, quid Ionæ, versu vlt. Finis ergo est, vt intelligamus nihil temere à Deo fieri quin finem suum assequatur: Summa, nautis reuerentiam Iehouæ & professionem Eucharisticam ex salute accepta accessisse: Ionæ verò diuinitus prospectū esse, vt in mediis iudiciis experiretur singularem Dei misericordiam. Itaque duæ sunt partes, vt paulò antè oſtēdimus. Priorem euentum versu 16. in duas item partes distinguimus: quarum prior est de religioso sensu & conscientia nautarum: posterior verò, de cultu & professione qui ex religione conscientiæ necessariò promanat. Ac proinde locus de personis, qui in narratione historica primus est, ad vtrumque membrum pertinet: dicuntur enim illi, id est, tū nautæ tum vectores in vtrumque illud officium incubuisse. factum verò (vt modò dicebamus) duplex ordine proponitur: sensus quidē, his verbis *timuerunt homines isti*, &c. Cultus verò illis: *Et sacrificauerūt sacrificium Iehouæ, vouerúntque vota.* Ad sensum quidem religiosum quòd attinet, quatuor distinctè de eo prædicantur: Qui fuerit, quantus fuerit, qualis fuerit, & quod obiectum eius. Causam ex cōiunctione Hebræa & antecedentibus omnibus facilè colligimus: primùm enim dicitur fuisse sensus ex vero timore & reuerentia Domini proficiscens, quem sensum religionem appellamus: Deinde verò dicitur fuisse sensus verus ac non simulatus, quam veritatem Hebræi denotant consecutione *Reueriti sunt reuerentia*: Tertiò dicitur fuisse magnus, qui sensus eò commendabilior est in iis hominibus qui vix vnquam verbum vllum veritatis de eo audiuerant: tum obiectum huius sensus dicitur fuisse Iehoua, quem illi primùm ignorantes singuli Deos suos appellarant. Horum verò causa per copulam innuitur principio versus positam, quia ex antecedentium rerum experientia homines isti eò perducti sunt. Alter est religionis locus, quem cultum professionémque appellamus. In hoc cultu duæ partes distinctè proponuntur: quarum prior est velut Eucharisterium beneficij ante accepti, posterior verò ἐπαγγελία siue sponsio in futurum. Gratiarum actionem hæc verba denotant, *Sacrificauerunt Iehouæ*: posteriorem illa, *Et vouerunt vota.* Ad priorem locum quem Eucharisticum appellamus hæc 4. pertinent: Quid, cui, quicum, & qua de causa fecerint: Dicuntur enim primùm sacrificauisse: tum sacrificauisse Iehouæ, id est, vero illi Deo quem recens didicerant: Tertiò sacrificauisse sacrificium, id est, cùm omnes communiter, tum suum quisque singulariter. Nam hoc genus dicendi syllepticum est, tamquam si diceret, sacrificarunt

crificarunt sacrificium commune, & singuli singulare suum: quam syllepseos speciem optimè in Micol monet Kimchi obseruandam esse. Quartò hoc officium Iehouæ dicuntur exhibuisse ex antecedente causa, putà ex religioso sensu & ἀνυποκρίτῳ: qui si deest, totus cultus non tantùm mendax & hypocriticus dicēdus est, sed etiam abominabilis Iehouæ. Atq; hæc quidē gratiarum actio pro antegressa Dei beneficentia laudabilis est: sed alterum illud, quod proximè sequitur, officium longè est præstantius, & ad amplificationem officij religiosi maximè pertinens: cùm dicūtur ijdem vouisse vota, id est, nō satis habuisse quod solemnes Deo gratias egissent, nisi etiam porro modis singularibus ad officium sanctum erga Iehouā se obstringerēt. Neque enim hæc vota cum vulgo accipimus de sponsione harum aut illarum rerum quæ extra nos sunt; sed ea demum sancta vota hic intelligimus, quibus homines piè corpora animósque suos Iehouę consecrātes, obstringūt seipsos Domino ad obsequium ipsius. Quapropter vt hic locus cōmode intelligatur de votis dicemus quàm breuissimè. Qui vouent, aut seipsos vouent, aut quæ sunt extra se. Qui res exteras vouent, aut res in potestate sua positas vouēt, aut contrà: easque aut bonas, aut malas, aut medias. Qui res eas vouent quæ non sunt in sua potestate, imprudenter vouent: Qui malas, malè; neque horum quisquam damnatur voti si ad veritatem diuinæ Legis respexerit. Nam quicquid vouemus, illud vouemus Iehouæ, qui neque conditionem nobis impossibilem à nobis sponderi probat, neque malam ferre potest. Restat ergo, vt qui bene vouēt, aut res in potestate sua positas, aut in officio suo voueant, aut seipsos. Res autem in potestate bonas, aut medias: bonas, propter se, medias, propter aliud. Itaque si quis rem aut bonā aut mediam extra se voueat, si quidem votum legitimum est, eum teneri dicendum est, si conditio libera est. Qui verò seipsum vouet, aut officiū suum de seipso, is non vouet aliquid noui Domino, cuius est; sed hac ratione voti amplius seipsum obstringit ad officium suum. Exēpli causa, nos inde à baptismate vouimus nos ipsos domino: vouemus amplius in Ecclesia cùm ad professionē fidei nostræ accedimus: vouemus in sacra Synaxi, sed votis ordinarijs. quod si quis etiam priuato studio extra ordinem sibi votum imposuerit de bono aliquo præstando aut malo vitando, de faciendo officio; is si hos sibi cancellos eósque angustiores ad officium circumposuerit, nō potest eo nomine votum illius improbari. In hanc sententiam homines istos vouisse vota Iehouę statuimus. Euentus alter ad Ionam spectans primùm antecedentem causam narrat, priore membro versus vltimi: Deinde posteriore, factum. Causa antecedens fuit prouidētia Iehouæ agens opus suum per quod-

uis instrumentum, finémque suum non solùm naturaliter, sed etiã miraculosè assequẽs. Nam auctor huius facti Iehoua nominatur: Modus, præparatio: & ordinatio facta per singularem prouidentiam illius: Instrumẽtum, piscis magnus quem Christus appellat Cete: Finis autem, vt Ionam absorberet fugientem à Domino. Euentum hunc Ionæ specie miserabilem, re autem & singulari prouidentia Dei perutilem, sequitur alter euentus: nempe quòd diurna fuerit Ionæ in ventre Ceti commoratio. Ac primùm quidem duo singularia prouidentiæ diuinæ effecta fuerant, quòd & piscis eodem momento præparatus, & Ionas sine vllo corporis sui damno per fauces piscis in ventrem ipsius trãsgressus esset. Sed hoc tertium mirificentius opus est, quod tam diu integer corpore & animo vitáque integra perdurauit, fuit enim Ionas in visceribus piscis tres dies & tres noctes. Hic verò quærũtur duo: vnũ, quomodo fieri potuerit vt Ionas in ista specu perduraret: Alterũ, quo modo hęc historia typicè accipiatur. De vtroq; dicemus paucis. Modus ergo perdurationis non est naturalis, siue à natura piscis, siue à natura Ionæ, non à voluntate & operatione proficiscens; sed omnia Deo tribuẽda, qui facit miracula solus. quo enim miraculo Deus piscem præparauerat, & de Iona absorbẽdo sine morsu aut cõtusione informauerat, eodẽ miraculo Ionã confirmauit vt in eo carcere viueret spiritúmque vitalẽ duceret. Nam cùm animalia quædam in aliorũ corporibus inclusa viuere videamus, quid mirum, si Deus id quod natura duce ad breue tempus fieri potest, virtute sua protraxerit? Quod autem signũ Ionę (vt appellat Christus) typicũ est, id nõ propriè ex natura historiæ, sed ex instituto & declaratione Dei factum est: quam rem vt singuli melius percipiant, typos in tria genera distinguemus. Primum genus est eorum qui communes typi appellantur, id est, historiarũ atque exemplorum: quæ communiter ad alia omnia secundùm ætyologiã (vt Augustinus vocat (& anologiam accommodari possunt. Quam in sententiam Timotheum iubet Paulus se typum bonorum operum exhibere: & priore ad Corint. multa Israëlitis affirmat in typo accidisse. Alterum genus typorum est, qui proprij aut destinati à nobis appellãtur, id est, qui tantùm propter aliud significandum instituti sunt, vt typis & adumbrationibus legis corpus, officium, beneficiúmque Christi multis modis fuit adumbratũ: de quibus typis, quâ typi sunt, si quid prædicatur, id necessario accommodari opus est ad rerum typis adũbratarum veritatem. Ex hoc vtroque genere tertium cõficimus, quod medium siue mixtum appellamus: cuius historia tum propter se vera est, & in se veritatem habet, tum verò propter institutionem aut declarationem diuinam alterius rei alicuius typus efficitur. Huius generis est

ris est Ionæ Prophetæ historia,& in vētre Ceti triduana commoratio. Nam quòd Ionas in mare proiectus, à Ceto exceptus, & in eo tandiu conseruatus est,typus est prouidentiæ diuinę seruos suos fugitiuos recipiētis,morti præsentissimæ adiudicātis, & ex eadem conseruātis,donec Deo visum est.Quòd autem hoc per triduum factum est,typus est singularis non huius historię per ipsam necessarius,sed per declarationem Christi applicatus: qua applicatione factum est,vt cum historia hæc, tum historia Christi secundùm quandam rationem communem suam habeant vtraque veritatem. Ex hypothesi nascuntur ista theseων documenta.

1. Nunquam fieri posse,vt Deus à fine sibi proposito excidat.

2. Operum Dei finem in his rebus creatis ad homines maximè pertinere.

3. Hominibus autem hunc finem communiter in omnibus Dei operibus esse propositum,vt discant reuereri ipsum.

4. Reuerentiam Dei alienam ab omni hypocrisi & veram desiderari.

5. Veritatem reuerentiæ huius tribus modis in scriptura declarari:si obiecto ad verum Deum respicit,Si ratione subiecti ex vero animo proficiscitur,si denique ratione modi efficax & magna est reuerentia.

6. Ex hoc reuerētiæ sensu sanctum cultū à pijs mētibus exhiberi.

7. Cultus religiosi duas esse partes:vnam: vt cōscij peccati mortisque nostræ nos conuertamus ad Dominum, & fiducia æterni illius sacrificij remissionem peccatorum & reconciliationem exoremus à Domino: Altera, si non solùm res nostras, sed etiam nos ipsos toto vitæ curriculo sistamus illi, vt qui effecti simus hostiæ viuæ,sanctæ & acceptæ domino in Christo Iesu.

8. Hoc religiosum officium à singulis singulariter,à cūctis communiter,pro singulis & cunctis fieri oportere.

9. Quemadmodum Dei prouidentia admonuit,ita etiam à malo obiectis malis,aut aduersis rebus,reuocari.

10. Res omnes creatas esse voluntatis diuinæ expeditissimos administros,tanquam si à Deo singulariter edoctæ essent.

11. Etiam mortem & quæuis mortis genera electis cooperari ad bonum.

12. Neque solùm momentaneā mortē, verum etiam affectiones diuturnas sæpè à Deo propterea immitti,vt experiamur prouidentiā eius, & conquiescamus in ea.Nam hæc ipsa opera diuinæ prouidentiæ plerumque vt communes typos ipsius, nonnunquam etiam vt singulares à Deo exhiberi pro vocatione singulari seruorum eius.

CAPVT. II.

1. *Orauit autem Ionas Iehouam Deum suum è visceribus illius piscis.*
2. *Deinde dixit, inclamaui ex angustia mea Iehouam, & exaudiuit me: è ventre sepulcrali vociferatus sum, exaudiuisti vocem meam.*

Prophetiam hanc in duas partes antè distinximus: prioris vocationis historiam cum rebus coniunctis, duobus capitibus; & vocationem posteriorem, duobus alteris. Historiam vocationis prioris rursum duabus partibus diximus contineri: Nam primùm narrari mãdatum Iehouæ, fugam Ionæ, & virtutem Dei qua fugitiuus seruus receptus est, cap. 1. Deinde narrari illius resipiscentiam, cap. 2. Resipiscentiæ autem quæ hic narratur historia duabus partibus continetur: vna est orationis à Iona habitæ coram Domino, ad versum vsque nonum. Altera, liberationis à Deo exoratæ, in versu vltimo. Orationem à Iona fuisse habitam narratur versu primò historicè: quæ autem orationis summa vel argumentum, narratur sequentibus. Ad primum igitur versum quòd attinet, finis illius est, vt exemplum Ionæ ante oculos habeamus, vt oratione fidei vtamur, & nos exoratum iri à Domino confidamus: Summa, Orationem fidei à Iona resipiscente habitã. Partes propriè non sunt, quia vnica est enunciatio: si tamen si loci enunciationis (vt fit) pro partibus accipiendi sunt, In historia huius versus omnes loci ad historiam pertinentes commodè obseruari & distingui possunt. Nam primùm persona agens nominatur, *Ionas*: Deinde factum illius hoc fuisse dicitur, quod *orauit supplex*: tum persona ad quam hæc oratio habita est, nimirum *Iehoua*: Item modus, quòd vt miser reus se stitit coram Iudice: tum causa, quòd eum esse Deum suum agnosceret: postremò tempus & locus, quòd eo tempore inuocauit religiosissimè, cùm in ventre piscis abditus esset: quæ circumstantiæ singulæ sua momenta habent ad doctrinæ communis locos, qui in thesi positi sunt. Hi ergo documentorum sunt loci. Primus,

1. Neminem esse qui in aduersis rebus non teneatur Deum, vt certissimum liberatorem, accedere,

2. Non alium quàm Deum, velut summũ moderatorem & arbitrum rerum omnium, in his occasionibus adeundum esse.

3. Sed ea reuerentia ac religione adeundum, qua miseri rei se coram maiestate iudicis exhibere possunt.

4. Ad eam rem duo pertinere: Conscientiam infirmitatis communis aut singularis malefacti nostri, & certam persuasionem de bona paternáque volũtate Dei erga nos in fedele, cuius federis pars potentissima est quod Iehoua se Deum nostrum pronnciauit.

5. Nul-

5. Nullum quidem locum aut tempus esse, in quo non oporteat nos adire hac fiducia ad Deum: sed tamen maximè difficilibus temporibus & locis angustis materiam nobis suppeditari vt religiosè Deum appellemus.

Atque hoc quidem officium à Iona in tantis angustiis fuisse factum affirmanti Sp. S. credimus: Neque dubitamus, quin cogitationum & orationum eius argumentum sit id ipsum quod sequentibus versibus exponitur: sed tamen duo hic obseruanda sunt: Cùm Ionas sequentẽ orationem habuisse dicitur, primùm hic non singula verba orationis exponi, quæ toto triduo stillauit coram domino, sed tantùm summam & argumentum illius in pauca hæc verba contractum esse: Deinde contractum fuisse illud orationis caput, non quo tempore fuit in ventre ceti, sed postquam ex illo sepulcrali vẽtre paterna Dei manu liberatus esset: quemadmodum etiã alias Prophetias non fuso & exundante stilo videmus fuisse exaratas, sed presso; prout res copiosè aut populariter dictæ in breue & angustum corpus, ad cõmoditatem Ecclesiæ, contrahi potuerunt, siue per Prophetas ipsos (quemadmodum factum est plurimum) siue per alios prophetiæ dono & auctoritate instructos. Huius autem orationis finis fuit, vt Deus glorificaretur in Iona tum liberatione ipsius, tum functione quam se reliqua vita spondebat obiturum. Summa est, Ionam manu Dei pressum Iehouam exorauisse vt liberaretur à fouea ista: Partes in vniuersum tres sunt: Prima est propositio generalis in sanctis orationibus fungens vice exordij, versu. 2. Secunda est narratio siue enarratio propositionis illius, ad versum vsque septimum: Tertia denique est Conclusio spõdens celebrationẽ & confessionem Domino, versu 8. & 9. Summæ propositionis partes duæ sunt, Speciẽ quidẽ habẽtes παῤῥησίας, sed tamẽ eiusmodi, in qua posterior incrementũ no mediocre priori propositioni affert; quia qđ generalius dictum est priori parte, id in posteriore specialius & vehementius proponitur, putà oratione ad Deum cõuersa: Vtriusque partis membra duo sunt: Nam vtrobique factũ Ionæ narratur priore loco. Deinde vero posteriore euẽtus gratioso facto Iehouę consecutus. Nam quòd ad factum Ionę, exprimitur primùm generalius his verbis, *Inclamaui ex angustia mea Iehouam:* Deinde specialibus illis, *de ventre sepulcrali vociferatus sum.* Euenta verò seu factum Iehouæ illis exponitur *Exaudiuit me, auscultauisti vocem meam.* Vtriusque autem partis loci, ad factum Ionæ quod attinet, expositi sunt præcedẽte versu: quòd ad euentum ex facto Iehouæ consecutum, illius expositio luculentissima habetur sequentibus.

3. *Nam proiecerat me in profundum, in intimam partem marium, & flumen circumdabat me: omnes irrumpentes fluctus tui & vndæ tuæ super me transibant:*

4. *Adeo vt ego dicerem, eiectus sum à conspectu oculorum tuorum: verumtamen pergam intueri in templum sanctitatis tuæ.*

5. *Circumiuerant me aquæ vsque ad animam, abyssus circũdabat me, alga alligata erat capiti meo.*

6. *Ad præcisas radices montium descenderam, terrâ vectibus suis obstiturâ mihi in seculum: attamen eduxisti à corruptione vitam meam, Iehoua, Deus mi.*

Antecedentis propositionis nunc demum expositio siue enarratio magnificẽtissima à Iona subiicitur, versibus quinque: ac proinde summa totius huius enarrationis ex verbis præcedentis versus petẽda est, nec alius ab eo finis potest assignari. Partes consimiliter duæ: Nam primum de periculis & perpessionibus Ionæ, totáque illius occupatione, dum in periculo esset, enarratio instituitur, tribus versibus & priore parte vers. 6. Deinde verò liberationis allatæ diuinitus, in versu 7. Periculorum & malorum quæ Ionas expertus est enarratio partibus 4. distincta est. Nam primum grauitas periculi à conditione efficientis causæ & actionum eius describitur, in versu 3. Deinde grauitas cogitationum quæ Ionæ premebant conscientiam, versu quarto: tum grauitas instrumentorum quibus constrictus tenebatur vers. 5. Ac postremò inuicta grauium malorũ istorum perduratio, versu 6. demonstratur: quibus periculis vsque adeo amplificatis fieri non potest quin amplificetur & illustretur eò magis diuina liberatio. Primus locus ad grauitatem periculorum pertinens, causæ efficientis est & operationum illius. Nam causa efficiens quò grauior & liberior est atque omni impedimento superior, eò grauiores solent operationes esse, & reos qui premuntur illis grauiùs afficere. Hic autem Ionas causam efficientem sui illius periculi appellat Deum. Operationes verò illius describit 2. modis: primùm quòd Deus iusto iudicio suo Ionam in mare proiecerit: Deinde quòd mare iudicio Dei aduersus Ionam ministrauerit. A Deo se proiectum esse conqueritur his verbis *proiecisti me in profundum*: accedit amplificatio, vel potius exegesis, cùm dicit, *In intimum mare*, quia fieri potest vt in profundum coniectus tamen in fundo prostratus non maneat; sed sublata omni ambiguitate ostendit Ionas se in profundum ita fuisse deiectum, vt imum fundum illius petiuerit. Quo autem modo mare Deo ministrauerit ad exsequẽdum iudicium ipsius, demonstrat Ionas duabus enunciationibus. Nam primùm

mùm cùm dicit, *Fluuius circumiuerat me*, ostēdit se in eam maris partem deiectum esse quam prisci Latini conflugem appellabant, id est, in eas angustias in quibus aquæ siue maris fluentis atque refluentis, siue fluuiorum in mare irruentium, solent inter se quasi dimicare. Atq; hoc genus est ordinarij periculi. Deinde verò periculum extraordinarium à Deo immissum exponit his verbis, *Omnes procellæ tuæ & fluctus tui super me transibant*, qua de re satis in caput 1. Secundus expostulationis locus est ab effectu illius irę diuinę in Ionæ (quē fugitiuum persequebatur Deus) conscientia. Hanc suam conscientiam à Deo excitatam fuisse agnoscit Ionas, & se his periculis adductum fuisse, vt miseriam suam Deo exponeret ad consequēdam misericordiam: quamobrem sermonem à se coram Deo habitum fuisse pronunciat his verbis, *Ego dicebam*. Sermonis duo membra statuit: vnum, de miseria sua, *excisus sum*, inquit, *è conspectu*, & c. alterum, de misericordia. *Verumtamen adhuc liceat intueri in aditum sanctitatis tuæ*. Miseriam summam ex qua omnia consequuntur miserrima, hanc vnam proponit Ionas, quod sit *excisus è conspectu oculorum Dei*: nō quidem respectu essentiæ, Nam omnia Deo tanquam in oculis sunt expositissima: sed, respectu gratiæ, quæ dum ad aliquem peruenit, is à Deo respici dicitur: dum autem ab eo abalienata est, is excisus esse è conspectu oculorum Dei non raro dicitur: Excisus autem, tum ad grauitatem iræ diuinæ significandam, tum ad diuturnitatem; tanquam si homo excisus esset inde à radice ne fortè repullulet.

Misericordiæ petitio, qua Propheta vtitur, per metalepsin elegātissimam enunciata est. Nam quisquis implorat misericordiam ita bene precatur sibi, vt finem boni quod optat, & causam misericordiæ coniungat cum imploratione illius. Hic autē pro eo quòd misericordiam fuit imploraturus Ionas, optat finem & causam illius misericordiæ: tanquam si diceret se non sua causa simpliciter expetere misericordiam, sed maximè gloriæ diuinæ causa, & ad eum finem cui turpiter ante rebellauerat. Atque hæc illorum verborum sententia est, *Verumtamen liceat mihi amplius intueri in templum sanctitatis tuæ*. Tertius locus Ionæ calamitatem explicat ab instrumentorum quibus infestabatur conditione, tum à mari, versu 5. tum verò à terra, versu 6. A mari se duobus modis circunuentum fuisse prædicat: primùm quidem ab aquis. Deinde ab herbis in profundo mari semitas piscium nonnunquam impedientibus: quæ omnia non poterant homini non esse lethalia, nisi Dei manus ipsum sustentauisset. Periculum ab aquis per incrementum narrat. Nam primùm dicit, *Circumuenerant me aquæ ad animam vsque*, id est, ita vt planè de vita mea fuisset actum, nisi ad me

gratioſe Deus reſpexiſſet: Deinde adhibetur amplificatio: *abyſſus circumdederat me*, quaſi diceret non breues aut infirmas aquas, ſed profundiſſimas & valentiſſimas omni ex parte irruiſſe in vitam ipſius. Ab herbis verò periculum enunciatur hoc modo, *Alga erat adalligata capiti meo*, pro eo quod eſt Cete quod Ionam deglutiuerat, quaſi defeſſum procellarum immanitate, in fundo maris apud herbas quæ ibi latent conquieuiſſe, & ſe eodem fuiſſe loco ac ſi implexus fuiſſet herbarum illarum impedimentis, ídque ab ea ipſa parte quæ prima in periculis & anguſtis locis ſolet emergere, nimirum capite ſuo. A terra impedimenta ſibi allata Ionas enunciat duobus modis: Nam primùm ſe ait *deſcendiſſe ad radices montium*, id eſt, ſcopulos inacceſſos, & ex quibus nemo poſſit erepere: Nam etiam mare Syrum ſiue mediterraneum in toto illo tractu ſcopuloſum & importuoſum eſt maximè: & ille ipſe locus vnde Ionas ſoluerat ſcopulorum horriditate infamis eſt, vnde illa poëtarum fabula de Andromache, quam in ſcopulo Ioppes poſitam Perſeus ex catenis liberauit, quas catenas ſua memoria Plinius refert adhuc Ioppes exſtitiſſe. Amplificatur periculum illud phraſi grauiſſima, cùm Propheta dicit, *terræ vectes ſibi fuiſſe obductos in ſeculum*: ſunt autem hi vectes ſcopuli prælti & præruptí, qui conantibus ſunt impedimento ne vnquam in ſiccum prodeãt, ſed eos incluſos mari ad mortem continent. His poſtis tranſitum facit Propheta ad ſecundam enarrationis partem, de liberatione diuinitus accepta ex tantis periculis, altera parte verſus ſexti, dicens, *Sed tu eduxiſti ex corruptione vitam meam, ô Iehoua, Deus mi.* Etſi nihil refert, vtrum corruptionem, an ſepulcrum verteris, quia iam iam corrumpendus in ventre ceti Ionas videbatur, & venter illius ſepulcrum ipſi fore, prout ſecundo verſu ventrem ſepulcralem appellauit. his autem verbis Propheta ſimul liberationem ſuam exponit, & cauſam illius. Liberationem, cùm dicit, *feciſti vt exſcenderet ex corruptione vita mea*: Cauſam verò illis verbis *Iehoua Deus mi:* quaſi dicat in Deo vno cauſam fuiſſe liberationis illius acceptæ, tum propter naturam eius ſecundum quam ſummè bonus & omnipotens eſt, tum propter gratiam in Chriſto Ieſu, ſecundum quam ſe eſſe Deum noſtrum verbo pronunciat & operibus teſtatum facit ex federe. Ex his componendi ſunt hi documentorum loci.

1. Peccata noſtra (vt apud Zac.ariam eſt) pondera eſſe plumbea, quibus in grauiſſimis malis tamquam profundo demergimur.

2. Sed cùm Dei accedit manus vibrans peccatores in profundum propter peccata ipſorum, nihil horribilius poſſe accidere.

3. Nihil tam profundum eſſe aut abditum, quò non pertingat Dei

Dei manus,& quò nos non deturbent peccata noſtra.

4. Omnia ad exſequutionem iudiciorum Dei confluere,& vltrò ipſi miniſtrare,tanquam acies in noſtram perniciem expeditas.

5. Ipſos fluctus, vtcunque incerti ſunt atque inſtabiles, ad iuſſa Dei capeſſenda eſſe comparatiſſimos.

6. Quapropter eſſe æquiſſimum, vt qui ſermone Dei non poſſumus excitari, tandem circunſidentibus irruentibúſque malis cùm ad peccatorum noſtrorum,iraéque Dei ex peccatis conſcientiam,tum ad deſiderium glorificandi ipſum renunciantes malis noſtris excitemur.

7. Finem ſenſus iſtius eſſe, vt cùm apud nos ipſos Deum agnoſcamus,tum apud omnes confiteamur,tum in Eccleſia maximè,pro eo ſanctimoniæ modo quem nobis imperat,glorificemus.

8. Id autem eſſe perutile dum in malis verſamur, vt grauitatē eorum omnibus modis optima fide expendamus.

9. Sic enim fieri, vt illuſtrior reddatur accepta à Deo liberatio quam ſuis creaturis confert,non ſolum propter naturam optimam & omnipotentem ſuam; ſed propter gratiam ſuam & beneuolentiā ſingularem in Chriſto erga electos ſuos ex fedęre.

7. *Quū obrueretur in me anima mea, Iehouæ recordatus ſum,peruenítque ad te oratio mea,in templum ſanctitatis tuæ.*

Secundus hic enarrationis locus commodè ſubijcitur priori loco,vt ex malorum & periculorum amplitudine liberationis amplitudo meliùs intelligatur:finis igitur eſt,vt ſalutis gratioſæ à Deo admirabilitas cognoſcatur:Summa, Ionam in dubio verſantem & precibus cū Deo agentem exorauiſſe maieſtatem eius.Partes itaque duæ ſunt: quarum prior eſt de affectione Ionæ,priore membro verſus; poſterior, de facto Iehouæ gratioſo erga peccatorem hoc modo affectū. Affectionis duæ ſunt partes: Nam primùm narratur quomodo Ionas in ſe fuerit affectus: Deinde quomodo erga Deum. Affectionem in ſe hæc verba denotant,*Cùm obrueretur in me anima mea.* Affectionem in Deum illa, *Iehouam recordatus ſum.* Affectionis in ſe 4 ſunt loci. Nam primùm agens oſtēditur,anima ipſius:ſecundū factum, quòd ipſa ſeſe obrueret. tertiò.modus,quòd obrueret ſeſe in ipſo,adeóque ſupra ipſum, vnde non potuiſſet vnquam ſuis viribus emergere. Quartus locus eſt cauſę, quod eo difficultatis ex antecedētibus periculis adductus eſſet. Affectionis erga Deum ratio eſt euidens,ſi hoc vnum obſeruemus, verbū *recordandi* hic metalepticè accipi,vt in ſcripturis paſſim:pro eo quod eſt non ſolùm mēte, ſed ętiam animo totíſq; viribus ferri in Dei cogitationem, abiecta cæterarum rerum cogitatione. Beneficium Dei

altera parte versus similiter per metalepsin intelligendum est: quam ex hac argumentatione facilè singuli intelligent. Quorum preces ad Deũ perueniunt, ij exaudiuntur & liberationem ab illo cõsequuntur: Ionæ preces ad Deum peruenerunt: Exauditus igitur & liberationem consecutus est. Minorẽ affirmat Ionas, ex qua per Metalepsin conclusio efficitur. Propositio autem illius ad ampliorem confirmationẽ per apostrophen vel orationem ad Deum conuersa enunciatur, cũ dicit *Peruenit ad te oratio mea, &c.* Huius autem facti primùm natura, secundò causa, tertiò circunstantia ex Iona tenenda est. Factum est, quòd Ionæ oratio ad Deum peruenit, ac proinde nec Deus orationẽ auertit à se, nec se ab oratione: quæ duo in scripturis de repulsa diuina plurimùm enunciantur. Causa est non dignitas personæ, aut orationis, aut facti alterius; sed gratia Dei personam, orationem, factũ gratiosè accipientis. Circunstantia est in his verbis, *ad templum sanctitatis tuæ*, id est, in cælum: quæ circunstantia ad beneficentiæ diuinæ amplificationẽ pertinet, cùm Ionas in abysso & vẽtre C ti conditus inde à sepulcrali vẽtre ad cælum vsque & supra cœlos exauditus est. Ex hac itaque hypotesi hæc documenta exsurgunt κατὰ θέσιν.

1. Eas grauissimas afflictiones esse, quæ vrgent animam.

2. Sed alias alijs grauiores fieri, cùm anima indesinente earũ impetu tandem obruitur.

3. Obrui ita vt interdum emergat; sed tum demum obrui grauissimè, cum omnes facultates animæ totiúsque hominis earum numero vehementiáque superantur:

4. Nullam vehementiorem esse, quàm cùm Deus se apertè præbet aduersarium.

5. In hac misera hominum constitutione nihil vtilius, quàm vtà se auersi respiciant ad Deum recordentúrque illius.

6. Qui hoc modo fecerint, iis demum & promissione & veritate benignum esse.

7. Benignum, inquam, vsque adeo vt tum personæ, tum orationes, tum facta ipsi accepta sint.

8. Neque tantum hic accepta; sed etiam in cœlo, vbi quasi conscripta habentur in sacrario Dei, vt Psaltes de suis orationibus Psalmo 56. prædicabat.

8. *Qui obseruant vanitates mẽdaces, benignitatẽ erga se derelinquãt:*

9 *Ego verò cum voce gratiarum actionis sacrificabo tibi, quæ voui, rependam: omnimoda salus est Iehouæ.*

Nunc postremus est orationis locus, quem conclusionem appellamus

mus:cuius finis est vt Ionas gratum se præbeat Domino: Summa, ipsum animo,sermone & opere salutē à Deo acceptam prædicare velle, & quia hoc per comparationem Ionas enunciat,duæ sunt huius cōclusionis partes:prior,qua Ionas ingratum aliorum factum & exemplum ante oculos statuit,versu 8.posterior, qua suum officium spondet gratissimum merito Iehouæ, versu 9. Hac autem cōparatione Ionas certo consilio vtitur,tum vt seipsum magis accendat ad horrorem ingrati facti & grati studium, tum verò vt omnes doceat quanta religione ab ingratorū hominum exemplis abstinēdum sit, & studēdum recordationi beneficiorū Dei. Videtur autem Ionas speciatim ad illos nautas & vectores respexisse,quorum historiam capite 1. audiuimus.

Nam illi, nō obseruāte Iona, Dominum vanitates mēdacij obseruauerant,ac proinde euanuerāt in suis cogitationibus: Ionas verò, qui tum ex animo fugiebat obseruationem Dei,ad veram obseruationem reuocatus est. Itaque hoc versu 8. primum habitus Idololatrarum, secundò factum illorum ingratum exprimitur. habitus est,quòd obseruatores sunt vanitatum: Factum, quòd benignitatem suam derelinquunt. Prioris membri interpretatio tum ratione totius,tum verò ratione partium ab interpretibus controuertitur. Nam totum versum si respiciamus, alij simpliciter in narratione positum iudicant, alij verò in amarulenta quadam concessione habente speciem iustæ exprobrationis: quemadmodum Iosuæ vltimo, & Iudicum aliquot in locis, exempla exstant. Nos posteriorem interpretationem hoc loco probamus, velut argumento conuenientem cum eo quod dicitur Apocalypsi vltimo, *Qui sordet,sordescat adhuc*. Hac enim concessione, vel potius concessionis specie,Deus erga peccatores vtitur,cùm importunè studentes peccatis suis non sinunt se à Deo reuocari: cuiusmodi exemplum perfamiliare est in historia Bilhami Numer. 23. Cùm Deus ipsi importunè instanti profectionem ad Balakum permitteret,quā postmodum castigauit. In partibus autem quædam variæ interpretationes adferuntur,& in subiecto, & in prædicato huius enuntiationis. Nam primùm in subiecto nomen vanitatis alij referunt ad cogitationes vanas hominum, alij ad idola & Deos confictos qui sunt vanissimarum cogitationum partus: Posteriorem interpretationem magis probo quam videtur vox adiuncta confirmare,cùm dicuntur *vanitates mendacij*. Nam etsi rursum ad hanc vocem mendacij variæ interpretationes adhibētur, mihi tamen perplacet vt omnes simul coniungantur: ac proinde intelligamus,quocunque modo idola spectemus,nihil nisi mendacium in eis obseruari posse. Nam siue ortum & causam efficientem spectaueris, vanitates mendacij esse ab hominibus menda-

cibus & cogitationibus profectas: siue substantiam eorum vanitatem mendacem esse, in qua nihil insit eorum quibus effingendis instituta sunt, siue potentiam, vanitatem mendacem esse, quæ nihil eorum possint quorum speciem præ se ferunt: siue operationem, homines ad vanitatem & mendacium indignissimè traducere: siue denique finem nihil planè eorum assequi propter quæ instituta sunt: Summa (vt loquitur Paulus 1. Cor. 8.) idolum nihil esse in mundo. Quapropter etiã in prædicato nomen huic oppositura benignitatis alij aliter exponũt. Hi enim metonymicῶς pro Deo beneficiorũ auctore accipiũt: illi pro benignitate quam idololatræ à Deo acceperint: alij denique pro benignitate quam in bonos præstare oporteat, quia nihil crudelius aut sæuius superstitione & idololatria. Primam interpretationẽ antepono cæteris: secundam facilè fero: Tertia ad hunc locum non potest pertinere. Summa igitur est, si qui idololatræ beneficium à Deo acceperunt, eos ita hęrere idolorum suorum obseruationi, vt Deum benignitatis quam acceperunt auctorem turpiter derelinquãt: quia fieri non potest (quemadmodum dicebat Christus) vt dominis duobus seruiatur: & Deus semper ita Zelotypus est, vt alterius cultum, aut alterum cultus modum, secum aut cum suo cultu nolit vnquam perpeti.

Alterum comparationis membrum versu 9. Ionæ sponsionem continet. Spondet autem Ionas primùm duo sacrificiorum genera; vnum, necessarium atque legitimum pro beneficiis acceptis; alterum votiuum, *Quod vouero rependam.* Vtique autem sponsioni adiungit duo: Nam & modum suarum actionum, & causam prædicat. Modum, cùm dicit se cum voce confessionis vel celebrationis facturum ista. Causa verò, cùm dicit γναμικῶς Omnimodam salutem Iehouæ esse, ac proinde se omni vanitate mendacióque sepositò benignitatem & salutem à Deo collatam testificari palam & profiteri velle. Huius itaque conclusionis hi secũdum thesin loci ponendi sunt. Primùm, Nullam tam diligentem apud homines obseruationem esse quàm quæ à superstitione mentibus imprimitur.

2. Verumtamen & superstitionem, & idola superstitionis instrumenta, & cogitationes hominum quæ idola pepererunt, nihil nisi vanitatem esse.

3. Vanitatem esse non simplicem, sed damnosam: quia vt ortum à mendacio habet, ita re & veritate mendacium est, mendacióque terminatur.

4. His opponi Deum, qui solus fons est benignitatis erga homines etiam pessimè meritos.

5. Fieri nõ posse vt vera Dei religio cum superstitione coalescat: ideóque

ideóque plurimùm iusto Dei iudicio euenire, vt qui idolis hærent ij planè Deum deserant, & ab eodem deserantur.

6. Piorum esse, vt sanctissimorum monitorum exemplorúmque memores hæreant Domino.

7. Hærentes domino fieri non posse quin seruiant, & profiteantur animo, sermone, & opere, tum benefacta Dei erga se cognoscentes, tum sua officia religiosè spondentes ipsi.

8. Hæc officia non solùm priuatim, sed etiam publicè in cætu piorum præstari oportere.

9. Horum omnium in causa esse gratiam illam Dei salutarem, sine qua nulla salus potest ad quenquam pertinere.

Caput. III.

1. *Quum autem edicente Iehoua pisci illi, euomuisset Ionam in aridã,*
2. *Fuit verbum Iehouæ ad Ionam iterum, edicendo.*
3. *Surge, adi Niniuen ciuitatem maximam: & proclama in eam proclamationem illam quam ego edico tibi.*

Huius Prophetiæ locos duos antè distinximus: quorum prior est de vocatione Ionæ, posterior de vocatione Nineuitarum per ministeriũ illius. Nunc pertractato priore loco, de posteriore dicendum est. Illius autem partes duæ sunt: vna qua vocatio illorum exponitur: altera, qua Ionæ factum aduersus expositam Dei misericordiam indignantis. Summa igitur huius loci est, Deum per Ionam Nineuitas ad resipiscentiam aliquam & misericordiæ participationem reuocasse, quam misericordiam Ionas indignè tulerit. Finis vt omnes agnoscamus illã Dei misericordiam, & omnium discamus ex animo misereri, vt eò meliùs sentiamus nos patris misericordis filios germanos esse. Partes itaque duæ, quas ante diximus, singulis capitibus distinctæ sunt: prior enim cap. 3. posterior cap. 4. exponitur: Ad priorem hæc membra pertinent: vocatio Nineuitarum, versibus. 4. factum illorum ex vocatione, versibus 5. & euentus, versu vltimo. In historia vocationis illorũ duo sunt obseruanda: vnum est vocatio repetita Ionæ, duobus versibus: alterum, vocatio facta per Ionam, duobus alteris. Vocationẽ Ionæ eandem planè esse cum ea quæ primo cap. fuit exposita omnes vident. Nam versu. 1. eadẽ sunt verba: secundo fermè eadem. Quamobrem ex illis horum petenda interpretatio. tantum id versu 1. singulare est, quòd verbum Iehouæ factum fuisse dicitur iterum. Iterationis autem huius causæ duæ sunt: vna, quòd Prophetam, qui suo facto suam vocationem abdicauerat, in vocatione instaurari & redintegrari à Deo vocationis auctore opportuit: Altera, quòd idẽ genus Prophetiæ

argumentúmque oportuit cõfirmari; cuiusmodi rationem Christus in restituendo Petro seruauit, cùm ter abnegato Christo à sua vocatione sese abalienauisset: Ter enim à Christo redintegrari eum oportuit, qui tanta infirmitate de sua illa vocationis dignitate deciderat. In secundo versu singulare illud est quod dicit Deus, *Proclama in Niniuem proclamationem illam quam sum dicturus tibi.* Nam hic mandatum indefinitum est, quod primò cap. disertis verbis fuerat expressum. huius mutationis causa est, quòd Deus Ionam amplius voluit instituere de illa diuina auctoritate qua vtitur in administros suos: non esse penes Ionam vt cognoscat de Prophetiæ argumento, aut iudicio suo aliquid in hac causa tribuat; sed potius ipsi videndum esse, vt ad omnia gerenda dicendáque paratus sit quæ in mandatis à Deo acceperit. Sic enim magis probatur fides & obsequium seruorum Dei: vt cũ Abramo diceret, abi in locum quem monstrabo tibi. Documenta ergo eadem sunt cum illis quæ primo cap. exposuimus: hæc singularia. Primùm, Quòd Deus suis, cùm sunt immorigeri, non desinit mãdata dare vt eos colligat. Secundùm, repetitione vocationis Deum suos afficere duobus beneficijs: vnum est, quòd indignos vitiositate ipsorũ, dignos facit de integro vocatione sua: Deinde, quòd amplius confirmat dubitantes aut hærentes. Tertium, Quod non semper expedit, vt singula quæque ad vocationem pertinentia Deus cum suis communicet: quin potius & auctoritatem ipsius erga nos, & nostram fidem atque obsequium erga ipsum eò ampliùs commẽdari, cùm Deus nos ita vocat vt res singulares ad vocationem nostram pertinentes quascunque visum est, dissimulet, vt semper discamus recumbere in prouidentia ipsius.

Ex vocatione Ionæ repetita efficaciter sequitur vocatio Nineuitarum per ministerium illius. In facto autẽ Ionæ subeuntis vocationem Dei duo distinctè obseruanda sunt. Nam alia sunt antecedentia vocationis ipsius, versu 3. alia verò ad vocationem ipsam pertinentia. In antecedentibus vocationis duo sunt animaduertenda: primùm, quid Ionas ante fecerit, vt se ad opus accingeret: Alterum, quæ fuerit ciuitatis illius Nineues constitutio. Vtrumque versu 3. exponitur: quid Ionas fecerit, his verbis, *surrexit Ionas & abijt Nineuem ex verbo Iehouæ:* Quæ ciuitatis constitutio, illis, *Nineue autem erat, &c.* Quæ de facto antecedente Ionæ dicuntur, ea sunt euidentissima: surrexisse qui prius torpebat, abiisse Nineuem, qui prius refugiebat, & fecisse ex verbo Iehouæ, qui prius verbo Iehouæ fuerat aduersatus. Similiter quæ de vrbis constitutione narrantur, nihil obscuritatis habent. Nam de amplitudine vrbis illius iam satis diximus in 2. versum cap. 1. Restat igitur,

igitur,vt de ipsa præstatione diuinæ vocationis videamus. In ea duæ partes summatim obseruandæ sunt: prior,vt cognoscamus apud quos egerit Ionas:Posterior,quid egerit. Apud quos egerit demonstrat his, *Et Ionas venit in ciuitatem itinere diei vnius:* quid egerit,sequente mẽbro versus ostenditur. De priore illud obseruandum, egisse Ionam apud eos quorum interfuit;non autem (vt temerè fit) apud alios declamauisse: quorum prius veritatis & charitatis est, posterius nihil nisi falsum & odiosum sapit. In hac autem parte circumstantiæ quædam singulares obseruandæ sunt,ad tempus & locum pertinẽtes. Ad tempus illa pertinent,quòd dicitur Ionas incepisse veniendo in ciuitatem proclamare id quod Deus sibi imperauerat: Ad locum pertinent illa, quòd dicitur proclamauisse spatio itineris diei vnius. Ratio temporis eò maximè obseruanda est, quòd & Ionæ fidem in hac repetita vocatione obeunda, & Nineuitarum promptum officium cognoscimus. Illius fidem,quia ingrediendo cœpit,neque destitit se in ea re occupare ex quo ingressus est,dum fuit commoditas: Horum verò prõptum officium,quòd maturè attẽderunt ad salutaria Dei monita, neque expectauerunt dum Ionas per totam vrbem peruasisset. Intereà verò & hoc obseruandum est,quod plerique non animaduertunt,non esse hic intelligendum locum de vnius diei prædicatione; sed de multorum dierum prædicatione,per quos Ionas potuerit sufficere habẽdis concionibus in tãto opido per totum illud spatium itineris quod viator vno die fuisset percursurus. Non ergo hic numerantur concioncs:sed tantum,facta partium opidi inter se comparatione,quod opidum iter tridui capiebat, Ionas dicitur concionatus in eo opido quantum capit iter vnius diei, id est,in tertia illius parte: Vnde ostenditur illud, quod ante diximus, promptum Nineuitarum officium, quod tertia opidi parte concionibus Ionæ reuocata totum opidum ad resipiscentiam perductum est. Sequitur alter locus de substantia illius concionis quam Ionas habuit,altera parte versus. In ea autem parte modus concionis notatur,cùm Ionas proclamauisse dicitur,ad testandam contẽtionem illius in perfungendo officio, vt passim in Prophetis legitur. Substantia verò proclamationis (vt in Prophetis passim) duabus partibus continetur: quarum altera per paralepsin reticetur hoc loco,altera exprimitur. Nam exprimitur Iudicium Dei superuenturum Nineuitis, & causæ illius recitentur: quas tamen Deus adhibere solet in pronunciandis iudiciis. Reticentur autem causæ, primùm quia necessariò ex Iustitia Dei colligendæ sunt. Deinde quia deinceps Nineuitæ causam iudiciorum satis agnoscunt suâ resipiscentiâ, siue quia vtrumque simul verum est. Hinc si ad Iudicia Dei respexeris, verum axioma

illud est, Deus neminem castigaturus est contra naturam Iustitiæ suæ, proinde quicunque à Deo accusantur, ij iustitiam Deo sibi iniustitiam tenentur adscribere: hæc autem fuit conditio Nineuitarum; hos ergo iniustitiam sibi adscribere oportuit: siue ad narrationem sequentem respexeris, omnino statuendum est causas Deo fuisse iustissimas, cùm Nineuitæ ipsi ad peccatorum suorum confessionem his Ionæ concionibus adducti sint. Quod si qui piè confitentur, Deo eosdem verè confiteri necessarium est, & piè confessi sunt Nineuitæ, omnino etiã illud consequetur, eos verè peccata sua fuisse confessos. Atque hæc de causa, quæ hoc in loco reticetur. Iam de iudicij nunciatione videamus. In ea primum definitur tempus, secundò modus iudicij: Tempus his verbis, *Adhuc.* 40. *dies:* Modus Iudicij, *Et Nineue subuertetur.* Modum iudicij eundem esse qui post secutus est, nemo negabit qui historias veteres delibauerit. Notũ est quid Herodotus lib. 2. quid Diodorus Siculus de hac re scribat, Nineuem à Cyaxare expugnatam, ab Astyage euersam esse: ac proinde modus ille iudicij quẽ Deus præfiniuerat omnino consecutus est. Sed in priore mẽbro, vbi circumstantia temporis ponitur, falsa videtur Ionæ denunciatio, nisi quis rem sanctè acceperit. Etenim Ionam antè annos amplius 100. hæc denunciauisse quàm Astyages Nineuen euertit, ratio temporũ demonstrat euidentissimè. Quamobrem videndũ est quo modo demonstrari possit huius Prophetiæ veritas. De hac re autem ita statuimus: Prophetiam omnem aut Categoricam esse, aut hypotheticam. Categoricam eam esse, quæ aut ex verbo Dei scripto Categorica est, aut ex singulari reuelatione. Hypothetica est, quæ aut hypothesin expressam habet, siue in ipsa denuntiatione singulari, siue in verbo Dei scripto; aut latentem in consilio Dei, prout Deus sapientissimè liberrimèque rerum conditiones indicat seruis suis, aut apud se cõtinet tectas. Iam verò hæc denunciatio non est Categorica; sed ea demum est Categorica, quam post aliquot annos Propheta Nahum prædicauit. Hypothetica igitur, cuius nõ est expressa in denuntiatione Prophetæ hypothesis. Ergo aut expressa fuit hypothesis in communi verbo, aut in Deo latens. Expressam esse in communi verbo facilè probaturi sumus ex Leuit. 26. & Deut. 28. Nam si quis dixerit illam conditionẽ Israeli, non exteris, oblatam esse, respondeo est Iustitiæ (vt verbis vtamur Augustini) vnam & eandem semper regulam esse, non autem modò hanc, modò illam, & verò rem ita se habere demonstrat Ionæ ipsius querimonia capite vltimo, cùm dicit secundo versu *Nõne hoc est quod dicebam, &c.* Deinde etiamsi daremus cõditionem in Deo latuisse, tamen ex ipso euentu oportere nos denunciationem hanc à Deo factam

pro hy-

pro hypothetico accipere. Ex hac hypothesi communia documenta eruuntur ista. Primum Iustam & necessariam esse hominibus legem, vt exploratis Dei mandatis obsequantur, facientes quæ facto opus sunt, & ab ijs quæ neque licent neque expediũt abstinẽtes. Secũdum, Nullam personarum, rerum, locorum, temporum amplitudinem esse, quæ nos ab eo officio remorari possit. Tertiũ, Nam & verbum Dei nobis legem esse, & verbo Dei, quoties videtur ipsi, legem alijs proponi oportere. Quartũ, Neque laborem qui sese exhibet grauissimum refugi à seruis Dei oportere, cùm omni vocationi diuinæ semper coniuncta sit promissio in bono fortificans, & aduersus labores maláque obsistentia indurans seruos Dei. Quintum, In hac confirmatione animi facientibus initium administris Dei etiam res difficillimas fieri faciles, homines dociles, & omnia peruia timentibus Deum. Sextum, Quapropter etiam in medio cursu, vbi spes nulla ostenditur, eã superuenire Dei benedictionem, qua omnia quasi momenta acta transacta videantur. Septimum, Sed administros Dei duabus in rebus occupari oportere: vna, vt nihil dicant nisi dicente Domino: altera, vt clament obsurdescente humano genere, & aliud agente, quando à Deo reuocatur. Octauum, Sermonum Dei, vt etiam legum has virtutes siue ἐνεργείας esse, iubere, vetare, promittere, minari, permittere. Nonum, Sed hæc omnia fieri duobus modis: Nam aut absolutè enunciant Dei verbis, aut conditionem quadam. Decimum, Conditiones alias exprimi, siue communi verbo, quod scripturam appellamus, siue singulari, quod reuelationem: Quæ autem tacitæ sunt, aut taceri communi, aut singulari, aut vtroque verbo: quia conditionem illam, qualiscumque sit, Deus liberè dissimulare potest, nec tenetur aut seruis suis qui dicunt, aut aliis quibus dicitur eam, retegere. Vndecimum, Vtcumque autem loquatur Deus etiam iudicia sua, tamen bonitatem, veritatẽ, iustitiam & misericordiam in denunciatione illorũ elucere.

5. *Vbi quum cœpisset Ionas ire per ciuitatem itinere diei vnius, & proclamauisset dicens, adhuc quadraginta dies, deinde Niniue subuertetur.*

Hactenus factũ Ionæ exposuimus: sequitur altera pars capitis, de Nineuitarum facto, ex quo Ionæ prædicationẽ audiuerãt. Hoc autem factum, vt summatim dicamus, nihil est aliud quàm resipiscentia ad sermonem Ionæ. Narratur verò duobus modis, communiter, & singulariter. Communis modus narrationis est in versu 5. Singularis & accuratus, versibus sequentibus. Commune igitur Nineuitarum factum duobus modis circumscribitur ad resipiscentiam pertinentibus: fide apprehendente verbum Dei, & contritione siue abiectione vera.

Fides priore membro, abiectio posteriore exponitur. Ac prædicatio quidem de fide pronunciatur indefinitè, *Crediderunt Nineuitæ Deo.* Altera verò definitur ad Emphasim, cùm dicuntur illi sese abiecisse à maximo ad minimum vsque. Istius abiectionis duo symbola externa ponuntur synecdochicè ad veritatem rerum significandam. Nam cùm duplex sit commodum ad rationem corporis nostri necessarium, victus, & vestitus; quorum animus gestit, eorum victus & vestitus liberior est: Quorum verò animus è diuerso se affligit, eorum victus atque vestitus est pressior, tum vt angustias animi sui significent, tum vt alios quoque ad communionem eiusdem luctus afflictionisque pertrahant. Sic luxurianti victui ieiunium succedit, lasciuienti autem vestitui cilicium: Quę signa si à veritate rerum quas significant separantur, mimica sunt: Sin veritatem coniunctam habent, sunt rerum sanctarum sancta exercitaměta. Documenta huius versus ex iis quæ modo diximus sunt euidentia, deinde etiam pluribus deinceps exponuntur.

6. *Crediderunt Nineuitæ Deo; & indicentes ieiunium induerunt cicilia* omnes *à maximo ipsorum vsque ad minimum ipsorum.*

7. *Quum enim peruenisset hoc verbum ad Regem Nineues, surgens è solio suo deposuit paludamentum suum à se; & operiens se cilicio sedit in cinere:*

8. *Et postquam conuocasset* populum, *edixit Nineues ex sententia Regis & procerum eius, dicendo; homines & iumenta, armenta, & greges ne gustanto quidquam, ne pascuntor, & aquas ne bibunto:*

9. *Sed operiunto se ciliciis homines cum iumentis, & inclamanto Deum fortiter; ac reuertuntor quisque à via sua pessima, & ab ipsa violentia quæ inest manibus ipsorum.*

Singularis narratio Nineuitarum facti primùm ordinẽ rerum gerendarum complectitur, versu 6. Deinde verò mandatum Regis, quo omnes adducti sunt vt coram Deo sese abiicerent, versibus sequentibus. Ad ordinem hæ partes omnino pertinent: primùm quòd opera popularium res ad Regem delata est: Deinde quòd Rex nuntio ita affectus est vt regiam maiestatem quasi deposuerit coram Domino signis illius depositis: tertiò quòd se abiecit ipse: postremò quòd suis popularibus idem promulgari & per alios curari iusserit, principio versus 7. Atque hæ quidem res ad communem illum ordinem pertinent, qui in politica administratione optimarum Rerumpublicarum est obseruandus. Nam primum alienum esset à iusto ordine, si populares ipsi ac plebeij homines tumultuariè de rebus publicis constituerent,

rent, neque ad ſuperiorem magiſtratum referrent: deinde ſi magiſtratus ex popularibus minimè cognoſcerent: item ſi rebus afflictiſſimis ex populari iudicio cognitis non afficerentur, tum faſces ſuos ſubmittendo manui Dei, tum ſeipſos omni exercitatione ad hoc inſtitutum commoda abiiciendo: Præterea ſi ad conſilium rem non deferrent legitimè: poſtremò ſi re in conſilium miſſa & deliberata non proſpicerent & mandarent id quod in publico fieri oporteret. Quæ omnia non poſſunt iis obſcura eſſe qui aut ordinis humani intelligentes ſunt aut periti adminiſtrationis His poſitis verſ. 6. & priore parte ſeptimi, venitur poſtea ad edicti ſubſtãtiam, quod edictum reliqua parte verſus 7. & duobus ſequentibus continetur. Eius autem membra duo poſita ſunt: vnum eſt, quid ſingulos facere oporteat, ſecundo membro verſus 7. & 8. verſu: Alterum, qua de cauſa, verſu 9. Mandati huius eſſentialis ſubſtantia partim in ritus, partímque in rituum veritate poſita eſt. Ad ritus iſta pertinent: abſtinentia à cibo & potu, verſu 7. & abſtinentia ab omni ornamento, principio verſus 8. Ad rerum veritatem duo hæc pertinent: Oratio fidei, & reſipiſcentia vera orationis mater: In vtroq; ritu obſeruandũ eſt, cui & quomodo imperẽtur. Cui imperẽtur Propheta oſtẽdit, cùm homines & beſtias nominat, vtroq; verſu: & ne quis putet ex beſtiarum genere iumenta & pecudes excipi quæ alioquin ieiunio & macie ad vſum hominis redduntur inutiles, diſertè Propheta addit, *armenta & greges*. Quomodo imperentur ritus illi, & qua religione obſeruandi, demonſtrat Propheta in ſingulis ritibus, additis vocibus ἐμφαλικὰ τὰ τὰς & τὸ καθ' ὅλου, id eſt, vniuerſitatem aut per ſe aut per conſequens ſignificantibus. Verbi gratia, in ratione cibarij dicitur ne guſtarent quicquam: quorum prius guſtare per conſequens interdicit omni cibario ſynecdochicè; vox autẽ quicquam καθ' ὅλου, vniuerſè negat. Quemadmodum autem de hominibus interdicitur ne guſtent, ſic de pecudibus ne paſcant: ſimilitérque in ratione potus dicitur aquam ne bibant, qua locutione per conſequens τὸ καθ' ὅλου deſignatur, tanquam ſi dixiſſet ne ipſam quidem aquam concedi omnibus hominibus & pecudibus cõmunem, ne dum aliis potus qui ad vſum & commoditatem hominum adhibentur. Quemadmodum autem de victu, ſic etiam de veſtimento vel tegmine dicitur, vt tegantur homines & beſtiæ ciliciis, id eſt, poſito omni ornamento adeóque commoditate veſtis, ad modum horridum & ſqualentem ſe componant, quemadmodum in luctu fuit obſeruatum. Quapropter etſi non legitur expreſſa, tamen omnino ſubintelligenda eſt particula ſolùm, vt ciliciis ſolùm obtegerentur. Hic verò oboritur quæſtio, Cur iſti ritus etiam brutis animantibus imperentur? Re-

sponsio est, voluisse Regem & cõsilium de industria prouidere, vt nihil apud Nineuitas esset quo non ducerentur aut permouerentur ad istius rei religiosissimam obseruationẽ. Quapropter placuit, vt quicquid Nineues erat in oppido, id totum lugubre esset in speciem, luctúmque hominibus excitaret. Nec mirum si etiam pecudes in hoc vsu fuerant occupatæ, cùm hominis causa fuerint conditæ eíque mancipatæ. Docebant autem publico illo squalore suo grauitatem peccati Nineuitarum, & iræ Dei iustissimæ in peccata excandescentis: Permouebant verò ad rerum istarum conscientiam. quemadmodum & à natura constat, magis afficere quæ in sensum oculorum cadunt, quàm quæ per aures solùm demittuntur in humanas mentes. Horum verò singulorum rituum veritas tum ad orationem refertur imperatam, his verbis, *Inclamẽt Deum vehementissimè*, tum ad resipiscentiam quæ iteratur sequentibus, *Et reuertatur quisque à via sua pessima*. In orationis lege, quam verus necessitatis sensus optimus orãdi magister secũdùm Deũ dictare solet, tria distinctè exponuntur. Nam primùm orationis officiũ imperatur verbo, *inclament*; Deinde obiectum, vt Deum inclament: postremò autem modus, vt inclament vehementissimè. In lege autem resipiscentiæ duo ponuntur necessaria: vnum est, recedendi à malo, alterum, dandi operã bono, Psal. 34. & 37. Quorum posterius verbo reuertendi proponitur: Prius autem demonstratur duplici allegoria, incedendi vel ambulandi pedibus, & agendi manibus. Quæ duo in omnibus fermè corporalibus actionibus nostris vsurpantur. Restat mandati causa versu 9. nimirum quòd spes ostenditur, fore vt Deus tum ab ira sua, tum à iudicio per iram denunciato abstineret Nineuitis resipiscentibus.

Altero loco denunciationis, causa mandati exponitur: nimirum spes reconciliationis ad vitam cum Deo exorandæ, & spes perditionis amoliendæ per reconciliationem. Prius membrum, diuinæ putà reconciliationis, demonstratur reuertendi & pœnitendi verbis: posterius, de amoliendo exitio, posteriore membro versus. Ad describendam reconciliationem Dei duo verba adhibentur humanitus, quæ tamen θεοπρεπῶς (vt Nazianzenus loquitur) intelligenda sunt. Nam ad reconciliationem eius qui nos auersabitur duo obseruamus: primùm, si reuocatus se conuerterit ad nos: secundò si ex animo se conuertet, tanquam mutata voluntate in bonum. Vtrumque Propheta hoc loco expressit: quia humanitus de Deo ita prædicantur, vt non in se mutari Deum (vt fit hominibus) sed tamen in nobis mutatus videri dici possit. Hæc igitur ratio est, cur sermones qui de hominibus ἀληθῶς prædicantur, ijdem tribuantur Deo κατὰ εὐδοκον. Alter locus de amoliendo exi-

do exitio similiter modum exprimit, reuerti Deum ab excandescentia sua: & euentum, quòd non sunt perituri si reuertatur Deus. Vtriusque autem beneficij spes ostenditur phrasi Hebraica, *Quis nouit?* qua phrasi, quemadmodum etiam voce forte aut fortasse, modò fideles, modò infideles vtuntur: Sed fideles piè, Infideles autem impiè. Nam infideles cùm vtuntur, vox est diffidentiæ: fideles verò cũ vtuntur, ratio planè diuersa est, quia non ex diffidentia, sed ex comparatione confidẽtiæ in Deum cum sua propria infirmitate; nec propter ipsos plurimùm, sed magis propter alios adhibent, vt fiducia rerum consequendarum magis ac magis accendatur. Rursum autem aut ex fide particulari, aut ex fide iustificante (quæ electorum est) hæc vox proficiscitur. ex fide particulari, exemplum Nineuitarum est, ex fide iustificante exemplum Ioëlis. 2. Ex certitudine, quæ tamen non causa loquentium, sed audiẽtium pro captu ipsorum sermones accommodat, exẽplum est, Num. 22. cùm ait Angelus, fortassè diuertit asina à conspectu Iehouæ. Ergo in pijs vtrũque inest, & certamen cum diffidentia ac infirmitate summa, & fidei alimentum eiusmodi vocum excitatione: quæ duo, quãuis pugnantia, in scripturis sæpè cõiunguntur, vt Psal. 2. exsultate cum timore. Ad Philip. 2. Cum timore & tremore salutem vestram cõficite, Heb. 4. Metuamus ne quando, &c. Documenta hæc sunt.

1. Deo monenti, sermonibúsque eius quamuis minantibus, credi oportere.

2. Nullam amplitudinem hominum, rerum, locorum ab hoc officio excusare.

3. Fidei & resipiscentiæ veræ non solùm testimonia, verùm etiam irritamenta, cùm nostra ipsorum, tum aliorum causa diligẽtissimè esse adhibenda.

4. Neque solùm priuatim, verùm etiã publicè; nec à magnis solùm, verùm etiam à paruis, denique omnibus promiscuè præstari hoc officium oportere.

5. Ad huius rei commoditatem maximopere pertinere, cùm res ciuili ordine adiuuantur.

6. Ciuilem ordinem adiumẽto esse, quũ ij qui præsunt, & exẽplo suo præeunt, & mandato prouocant.

7. His officijs maximè in grauibus Dei comminationibus & ira auertenda opus esse.

8. Quòd si res iusto consilio agantur, plurimùm actionibus cũ auctoritatis tum efficacitatis accedere:

9. Quæcunque ad docendum resipiscentiam atque permouendũ quouis modo & tempore adhiberi possunt citra superstitionem aut

fraudem veritatis, ea sanctè à pijs adhibenda esse.

10. Adhibenda autem coram Domino, & apud Dominum inclamatione sancta, iusta, vera, atque vehemente.

11. Hæc tum demum testata fieri, veritatémque demonstrari coram hominibus, cùm opera & viæ emendantur.

12. Malis curandis nullum esse remedium præstabilius, quàm reconciliationem Dei ad nos reuertẽtis, & animũ suũ aduertẽtis ad nos.

13. Hoc remedio tum iram ipsius, tum perditionem nostram, quã merito accersiuit, illico curatam esse.

14. Hæc omnia à Deo non aliter expectari aut exorari posse, quã spe metum, & fide diffidẽtiam propulsante: ad quas res nos semper accendi necesse est.

10. *Quis scit* an *reuersurus sit, & pœniteat Deum; vt reuerso eo ab æstu iræ suæ non pereamus?*

Hic tertius est Capitis locus, de euẽtu ex prædicatione Ionæ & cõuersione Nineuitarum consecuto. Euentus itaque duplex est ex Ionæ prædicatione; vnus, quòd Deus vidit, id est, probauit facta illorum resipiscentium, priore mẽbro versus: alter, quòd statuit non exsequi malum denũciatum, neque exsequutus est. Quòd autem Deus vidisse dicitur, non est perinde accipiendum ac si non vidisset antè; sed videndi verbo approbationem denotat, tanquam si quis in rem sibi gratã oculos teneret: defixos, quemadmodum dicitur Genes. 7. Deus respexit ad Hebelem, &c. Probauit autem non propter cõditionem personarum, aut facti ipsorum; sed propter gratiam suam, ne personæ meritæ, aut facta meritoria existimentur, aut viæ denique meritoriæ. Alter euentus euidentiam habet, & proximè præcedente versu fuit expositus. Hæc igitur documenta sunt. primum Deum non solùm probare per gratiam ea bona quæ fideles electi faciunt, sed etiã gratia aliqua aspergere eos qui particulari fide ad bonum reuertũtur. Secundum, In causa esse bonitatem illius, qui bonum non solùm gratiæ in electis honorat, verum etiam bonum naturæ cum ratione coniunctum citra contemplationem personarum honore afficit. Tertium, Non posse quin honori illi beneficia quoque diuina cõiuncta sint, secũdùm quæ Deus à malefaciendo abstinet, & immerentibus benefacit.

CAP. IIII.

1. *Quod quum malè haberet Ionã, peßimè; & accensa esset* ira *eius.*
2. *Orauit Iehouam dicens, quæso Iehoua, an non erat hoc verbum meum*

meum, dum essem adhuc in terra mea? idcircò anteuerteram fugiendo Tarsum: sciebam enim te Deũ *fortem gratiosum, & misericordem, longanimem, & amplum benignitate, ac pœnitentem mali esse.*

3. *Nunc ergo, Iehoua, accipe quæso animam meam à me: nam præstat mori me quàm viuere.*

Secundæ partis, quam in Prophetia hac statuimus, consimiliter loco3 duos esse antè ostendimus: quorum prior historiam Nineuitarũ, cap. 3. posterior historiam Ionæ, hoc capite comprehendit. Est autem hæc historia Ionæ ex antecedente historia consequens. Eius summa est, Ionam indignantem quòd Deus Prophetiam à se pronunciatam contrà Nineuitas effectam minimè redderet, tanquam si labes mendacij Ionæ aspersa esset, mortem sibi optauisse, & aduersus Deũ contendisse. Finis vt hoc exemplo tum modũ Prophetiarum cognoscamus, tum verò modum imponamus studiis & perturbationibus nostris pietatis, & charitatis nomine. Partes itaque huius capitis omnino tres constituendæ sunt. Nam prima consilium Ionæ exponit, versu 1. Secunda postulatum ipsius, versu 2. & 3. Tertia denique est disceptatio à Deo facta cũ Iona super expostulatione eius reliquo capite. Consilium vel potius causa expostulationis in versu 1. duobus modis ostenditur. Nam primùm antecedens factum Ionæ admodum displicuisse dicitur: Deinde verò etiam ira & perturbatione motum non dubitauisse ad Deum accedere. Itaque duplex malefactum Ionæ notatur his verbis: vnum, quòd malum bono prætulerit: alterum, quòd etiam pertinax in eo studio fuerit ex animi perturbatione. Sic vitiatã eodem impetu habuit Ionas mentem & animum. Ex hac hypothesi hæ documentorum assurgunt theses.

1. Indignum esse, vt rem bonam pro mala habeamus.

2. Sed eò indignius esse, quo magis studio nostri excæcamur, vt bono anteponamus malum.

3. Omnium esse indignissimum, cùm perturbationes animi accedunt, quibus abrepti nec Deo, nec iustitiæ, nec veritati, nec charitati cedimus.

Sequitur factum Ionæ animo perturbato Deum accedentis: quod factum primùm generatim principio secundi versus, Deinde verò speciatim exponitur reliquo versu & sequente. Generale est, cùm dicitur Ionas supplex Iehouam orauisse, & coram illo tanquam Iudice stetisse cui postulata sua exponeret. Speciale est, cum substantia postulati quo Ionas vsus est exponitur. In eo autem postulato duæ ponuntur partes. Nam primùm occasio postulati narratur, secundo ver-

ſu: Deinde ſubſtantia poſtulati continetur, verſ. tertio: quæ duo breui tãquam exordio Propheta præmuniuit in ſua illa perturbatione, vtẽs blanda appellatione Iehouæ, & dicens, *Quæſo Iehoua.* Occaſionem poſtulati Propheta narrat duobus modis. Nam primùm antegreſſam ſuam contradictionem adfert, tanquam ſi aliquid ad probandum Ionæ factum pertineret quod iam diu argumentum iſtud Prophetiæ ſuſcipere recuſauiſſet, priore membro verſus: Deinde adducit conſcientiam naturæ Dei ad miſericordiam de hominibus peccatoribus capiendam inclinantis, poſteriore membro. Prioris membri ratio hac argumentatione nititur. Qui & præuidet muneris grauitatem, & præuiſam fugit animo abalienato, non eſt inuitus ad munus illud intrudendus: Ego autem (inquit Ionas) præuidi & præfugi: Me ergo eò detrudi minimè oportuit: At maiorem falſam eſſe omnes vident: Nam vera tum demum eſſe poteſt, cùm neque muneris illius neceſſitas eſt, neque perſona obſtricta neceſſitate, ſed liberam ſui poteſtatem habens: vbi autem munus neceſſarium eſt neceſſitate iuris, & perſona neceſſitatem habet vocationis, ac non libertatem, omnino falſum axioma eſt, non eſſe inuitum ad functionem intrudendum: quemadmodum Paulus 1. Cor. 9. ſcribit, ſi inuitus euangelizauerit, ſe tamen teneri. Ergo vtcumque hoc ipſum Ionas diu ante dixerit, fugerítque à conſpectu Iehouæ, tamen non eo minus allegatus, ſed iuſtè, quamuis inuitus, ad illud retractus eſt. Et ipſe quoque Ionas meliora de ſe ſpopõderat, cũ ex immani periculo liberatus eſſet, ſuprà cap. 2. verſ. 9. Poſterioris loci hæc eſt argumentatio: Qui nouit Deum eſſe gratioſum, miſericordem, &c. eum iniquum eſt ad prædicationem ſeueritatis iudiciorum Dei impelli: Illud ego noui: hoc ergo iniquum eſt. Hic verò maior quoque falſa eſt: Nam qui nouit Deum gratioſum eſſe & miſericordem, idem quoque nouit eſſe iuſtum, ſiue (vt Syracides optimè dicebat) miſericordiam & iuſtitiam eſſe in manu Dei: Neutrum igitur iniquum eſt, ſiue ad iuſtitiam, ſiue ad miſericordiam prædicandam mittaris. Sed euentus, dixerit quiſpiam, contra eſt quàm fuit prędicatũ. Reſponſio eſt, nihil referre: quia euenta Deo authore aut abſolutè, aut conditionaliter proponuntur, vt antè declarauimus. Hoc itaque obſeruandum eſt, in poſteriore membro deſiderari oppoſitum membrum: tanquam ſi dixiſſet Ionas, ſciebam te gratioſum & miſericordem eſſe, ac proinde vbi iudicia denuncias, tamen ad gratiam & miſericordiam inclinare: quæ res pudorem mihi adfert, cùm iudicia ſolùm denunciari per me volueris, & reticeri miſericordiam. Ex hac expoſtulatione cum Deo poſtulatum illud exſurgit, quod verſu 3. exprimitur. quo in poſtulato primùm res ipſa quæ poſtulatur: deinde cauſa

causa exponitur. Rem proponit Ionas his verbis, *recipe quæso animam meam à me*: Causam sequentibus, *Nam melior est mors mea vita mea.* Ad vtrumque transit Propheta coniunctione rationali, idque emphaticè, cùm dicit, *Nunc itaque*, putà cùm ita ego sim affectus vt versu præcedente fuit expositum. Postulatum est figuratè expressum, quum inquit, recipe animam meam à me, pro eo quod est, fac moriar. Sic enim hæc locutio accipienda est, vt Ezechiel 24. & alibi, quemadmodū verbis sequentibus confirmatur, cùm ait mortem suam vita meliorem esse. Est autem locutio hæc perfamiliaris ad mortem præsentem significandam: quæ nihil est aliud (vt loquitur Paulus ad Philip.) quàm solutio animę à corpore. Huius locutionis causam Ecclesiastes cōmodè exprimit, dicens, *Spiritum ad eum reuerti qui dedit illum.* Est autem hoc postulatum per se medium siue indifferens. Nam fieri potest vt idem benè, & malè postuletur. Bene, vt Actor. 7. cùm Stephanus diceret, Domine Iesu recipe Spiritum meum. Malè autem, vt hoc ipso loco. Qui autem bene aut malè, pro ratione fontis postulant, vel efficiētis causę, & modi, & finis: fontis, quia idem aut limpidus aut perturbatus est: modi, quia in eadem re modus aut cum submissione voluntatis diuinæ coniunctus est, aut aduersus illi: finis verò, quia in eadem re fieri potest vt hic finem bonum habeat & ille malum: bonum, si pietate, iustitia, sanctimonia, & charitate erga proximum coniunctus est: malum, qui contrà. In hoc autem Ionæ postulato neque fontem videmus imperturbatum, neque animum submissum voluntati diuinæ vt par est, neque finem illum bonū quem circumscripsimus. Nam quomodo finis possit esse pius, qui oppugnat pietatem Dei? Quomodo iustus aut sanctus, qui iustitiæ & sanctimoniæ Dei minimè acquiescit? Quomodo charitate coniunctus, qui propinquorum saluti aduersatur, idque tantùm ex particulari causa & cæca φιλαυτίᾳ, tāquam si præstitisset Ionæ existimationi (vt opinabatur) consuli, quàm saluti tam multarum animarum quæ erant Niniues, vt in fine cap. dicitur. Demonstrat iniquitatem istam Ionæ ætiologia, cùm meliorem mortem vita sua prædicat. Nam meliorem cùm dicit respectu particulari sui ipsius dicit, & tamen (vt fit) in eo ipso particulari respectu fallitur: pro vt homo in rebus communibus & generibus rerum plurimùm peruidet, sed in particularibus occasionibus est cæcior. Ex his ergo quæ in singulari Ionæ exemplo animaduertimus, exsistunt documenta hæc.

1. Etsi graue est inardescere contra reuelatam volūtatem Domini, eo tamen fieri crimen grauius cùm non dubitant homines quacūque specie, etiam precatione, suas perturbationes Deo obtrudere.

2. Nam etsi vt iudicem appellant eum, tamen iniuria est in Deum contumelioſiſſima, quia tũc vt iudex iniuſtus appellatur perturbationibus humanis ſeruiturus.

3. Neque iuſtam excuſationem eſſe, ſi dicuntur homines ea cõditione iudicem appellare, quia nec fonte, nec modo, nec fine iuſto appellant, cùm ita perciti accedunt ipſum.

4. Quò ſæpius in eum modum appellatur, aut quò ſæpius voluntas eius refugitur, eò ampliùs homines obſignare ſuam contumaciam coram Domino.

5. Neque prætextum aut ſpeciem iuſtam fore, ſi miſericordia Dei ad velandas aut firmandas perturbationes noſtras obtendatur, quia ita eſt Dei miſericordia vt à iuſtitia nunquam diuelli poſſit: Deus ſemper idem eſt, nec ſeipſum negare poteſt, 2. Timot. 2.

6. Quòd ſi hac conditione homines mortem appetunt eos ex facto iuſtitiam Dei appellare, non miſericordiam prouocare.

7. Nos enim ita in ſtatione noſtra ab imperatore ſummo collatos eſſe, vt de munere ſtationis noſtræ, non de diſceſſu oporteat cogitare, tantiſper dũ videtur Domino: cúmque in ſtatione locati ſimus, non noſtra ipſorum, ſed fratrum noſtrorum cauſa; grauiſſimam eam cæcitatem eſſe, ſi quis abiecta fratrum ſuorum cõtemplatione ſibi ſoli cõſultum velit, legémque imperatori ferat.

9. Nam & vitam & mortem eſſe in manu Domini, non ſolùm propter potentiam infinitam eius, verùm etiam propter immenſam illam ſapientiam qua & vitam & mortem noſtram nouit prouidentiſſimè diſponere ad gloriam ſui nominis & ædificationem omnium.

4. *Dixit verò Iehoua; an factum bene,* quòd *accenſa eſt* ira *tibi?*

Antecedenti expoſtulationi ſubiicitur à Deo ſua reprehenſio: qua ſummatim docetur Ionas malefacere ipſum, qui & opus miſericordiæ diuinæ indignetur, & ſubſidio orationis coram maieſtate illius abutatur, abreptus animi ſui perturbatione. Itaque documentum vnum eſt: etiam obloquentibus ſapientiſſimæ adminiſtrationi Dei paratam eſſe gratiam ipſius, qua & reuocentur à malo, & in miſericordia Dei porro confirmentur.

5. *Nam egreſſus Ionas è ciuitate reſidebat ab Oriente ciuitatis: vbi fecerat ſibi tugurium, vt reſideret ſub eo in vmbra, vſque dum videret quid futurum eſſet ciuitate.*

6. *Parauerat enim Iehoua Deus Ricinum, qui aſcenderet ſupra Ionam, vt eſſet vmbra ſuper caput eius, ereptura eum à malo ipſius; lætabatúrque*

batúrque Ionas de Ricino illo lætitia magna.

7. *Deinde parauit Deus vermem aſcendente aurora, poſtero mane; quo lædente Ricinum exaruit.*

Diximus huius capitis tres locos diſtinctos ſtatui oportere: de quorum primo, videlicet cauſa, ltémque de ſecundo, videlicet conſilio & facto, audiuimus. Huic conſilio ſuam reprehenſionem ſubiecit Dominus verſu 4. tanquam materiam ſummam diſceptationis, quæ poſtea reliquo capite exponitur. Huius autem diſceptationis locus ſummatim poſitæ præcedente verſu, continet, primùm narrationem τῆς προηγουμένων, verſu quinto & tribus ſequentibus: deinde narrationem diſceptationis, tum de cauſa typica, verſu 8. & 9. tum de veritate illius, verſu 10. & 11. In antecedentibus tribus tria numerantur: primùm Ionam Tugurium ſibi extra vrbem poſuiſſe: verſu 5. ſecundum, Deum illam commoditatem noua acceſſione ricini auxiſſe, verſu 6. tertium, ricinum opera vermis exarefeciſſe: poſtremò æſtum grauiſſimum in eum locum vbi verſabatur Ionas immiſiſſe, verſ. 8. Ad primum quòd attinet, de tugurio per Ionam comparato, præmittit auctor narrationis partes duas, priore membro verſus 5. Deinde ad hiſtoriam venit tugurij. Primus narrationis locus eſt, Ionam ex ciuitate egreſſum eſſe: ſecundus, conſediſſe verſus tractum orientalem ciuitatis. Ex priore duo intelligimus: primùm res antecedentes in vrbe fuiſſe geſtas: Deinde cauſam cur ex vrbe egreſſus eſt, non obſcurè cognoſcimus. Quòd autem in vrbe geſta fuerint antecedentia, non tantùm ex his verbis, verùm etiam ex præcedentis cap. hiſtoria didicimus. Quæ autem cauſa diſceſſus ab vrbe fuerit, varij variè interpretati ſunt. mihi ex membrorum inter ſe comparatione videtur non aliam fuiſſe cauſam, quàm quæ in tota hac ferme hiſtoria demonſtratur: nempe quòd Ionas indignabatur cùm argumentũ illud vocationis ſuæ quam Deus imperauerat, tũ quòd Prophetiã ſuam non ſortiri effectum cognouerat. Quæritur autem quomodo illud cognouerit Ionas. Nam ſi ab euentu cognouit, 40. illos dies oportet Nineues conſumpſiſſe, & poſtea confecto illo ſpatio ſalutem vrbis animaduertiſſe. Sin autem Ionas ante cognouerit, certè non coniectura, ſed reuelatione cognouit; ſiue ipſi factum mandatum vt Nineuitas afflictos ſolaretur, ſiue aliis facta reuelatio ex quibus Ionas didicerit. Reſpõſio igitur eſt, cùm Ionas antè diſceſſit quàm iuſtum temporis ſpatium euentui attributum præteriiſſet, omnino Ionam reuelatione cognouiſſe: ſed vtrum ipſi an alteri facta ſit, dubitatur. Alterum certè Prophetam non legimus eo in loco extitiſſe: Statuimus ergo reuelationem ipſi fuiſſe factam; ne-

que ipsius causa, sed Nineuitarum, quos de reconciliata Dei gratia & ira exstincta confirmari per Ionam Deus voluerat. Ac proinde sententia mea est huiusmodi, hic Ionam de integro vocationē sibi à Deo imperatam turpiter deseruisse, cùm ex ea vrbe cui reconciliationem testari oportebat vltro excederet, séque in partem diuersam planè reciperet. Atque hæc verborum illorum est interpretatio, *Tunc egressus est Ionas*, &c. tunc videlicet cùm apud Nineuitas concionem habuisset, Deum exoratum illis cognouisset, & mandatum de testanda reconciliatione illius accepisset. Alterius membri, quod Ionas consedit ad orientalem tractum ciuitatis, non potest ea difficultas esse. Id tantum obseruandum est, Ionam ad latus orientale ciuitatis illius profectum, ne vel attingeret quemquam Nineuitarū quorum peccata ante reprehenderat: fuisset autem omnino aliquid commercij cū illis habiturus, si alterum tractum adiuisset, quia Tigris altera ex parte opidi ipsum alluebat, ac propterea Nineuitarum ministerio fuisset vtendum ipsi. vt illud taceam, quòd volentem discedere Nineuitæ fortasse religioso studio retraxissent si in partem Vrbis quam alluebat fluuius cōcessisset traiecturus & remeaturus ad suos. His positis, de antecedentibus singulis videndum est. Eorum primum, tentorium siue vmbraculum à Iona confectum esse, dicitur: quo in antecedente narrantur ordine hæc tria: primùm. Quid Ionas fecerit: Deinde quo consilio fecerit: postremò in quod tempus suum consilium protraxerit. Nam primùm fecisse dicitur vmbraculū: hoc enim propriè significatur nomine *Succa*, quemadmodum ex historia Israelitarum Exodi 12. & libro Numerorum facilè cognoscitur. Quo consilio fecerit, exponitur istis verbis, *Consedit in eo tugurio in vmbra*. Cùm enim tēpus illud ferueret, voluit Ionas sibi consulere: postremò, ad quod vsque tempus consilium illud suum protraxerit, auctor ostendit his verbis, *vsque dum videret quid in ciuitate futurum esset*: tanquam si diceret Ionam reuelatione à Deo facta de seruandis Nineuitis contra quàm Ionas prædixerat, ægre quidē tulisse argumentū reuelationis illius; sed eò amplius sese obfirmauisse, quamuis reuelante & increpante Domino, vt complementum alterutrius reuelationis obseruaret; siue futurum esset vt Nineuitæ interirēt, siue vt salutem à Deo exorarent. Sed cùm illud vmbraculum à Iona contextum ex frondibus arborum, quæ ibi non ita frequentes erāt, æstu dierum aliquot exaruisset, Deum de secundo remedio prospexisse dicitur. versu 6. & vmbraculum in specie durabile, putà permanente succo & viriditate, supra Ionam statuisse. Atque hoc secūdum antecedens est, cuius mentio fit in versu 6. dicitur enim Iehoua Deus Ricinū parauisse. Est autē Ricinus arbor vmbrosa, foliis crassis atque amplis-

simis,

simis, æstui resistens plurimùm quam Orientales gentes appellãt *Cici*, vnde permansit apud Græcos & Latinos Cicini olei appellatio. Præterea dicitur Iehoua extulisse Ricinũ suprà Ionã vt esset vmbraculo ad caput eius, vt eriperet eum ex malo ipsius: nempe quia æstu exaruerat vmbraculum paratum à Iona, ex quo factum erat vt Ionam æstus cõficeret. Postremo huius beneficij præsentis à Deo accepti re ipsa Ionas percepisse fructum, & maximopere lætatus dicitur; vt qui beneficium præsens agnosceret, sed de officio proximè futuro minimè cogitaret. Fuit enim ricinus ad duos vsus prouidentia diuina comparatus: prior vsus hic fuit de quo Ionas gauisus est, vt defenderetur ab æstu: posterior vsus fuit typicus, vt materia esset argumenti ad reprehensionẽ Ionæ pertinentis. Sic transitur ad antecedens tertium, de signo versu 7. nempe quòd pararit Deus vermem prouidentia sua sub auroram die postero. hic autem vermis adeo læsit ricicinum vt breui tempore exaruerit, nec Ionæ amplius adiumento esse potuerit. Atque hæc proxima occasio est, qua Deus ad disceptationem institutam cum Iona trãsijt. Ex his antecedentibus assurgunt hæc documenta.

1. Miserrimam eorum hominum conditionem esse, qui reuelatæ voluntati Dei aduersantur. Nam illis nec vrbes, nec rura, nec cælum, nec terram opitulari; sed instare semper grauissima iræ diuinæ argumenta.

2. Quicquid ab illis instituitur vt sibi consulant, illud esse momentaneum, & flante Dei spiritu abire in nihilum.

3. Præcipue si qui, dum velut exploratores iudiciorum Dei esse velint, studeant aut iudicia ipsius euertere, aut veritatem eludere.

4. Hos tamen ipsos ingratos homines à Deo præueniri beneficiis, & mala ipsorum alleuari etiam miraculosè, vt tandem aliquando resipiscant & agnoscant Dei misericordiam.

5. Quamuis autem Deus malitiam hominum oppugnet benefaciendo, vix tamen vnquam id fieri vt frangantur animi hominum & à malefaciendo auertantur.

6. Nam quæ argumenta Deus in illos confert, ea quidem ad præsens commodum accipi: sed mentem illorum minimè ad cõscientiam & obsequium consiliorum Dei euehere.

7. Propterea opus esse, vt Deus ex improuiso nouis iudiciis eos sollicitet, quorum tempora & modum disponit prouidentissimè efficiendis consiliis suis.

8. *Fuit itaque oriente sole, quum parasset Deus Eurum silentem, vt percuteret sol caput Ionæ adeò vt deficeret animo; expeterétque se ipsum*

mori, dicens, præstat mori me quàm viuere.

9. *Dixit autem Deus Ionæ, an factum benè* quòd *accensa est tibi* ira *propter istum ricinum? qui dixit, factum bene* quòd *accensa est mihi* ira *ad mortem vsque.*

10. *Cui dixit Iehoua, tu parcis isti ricino, pro quo non laborasti, & quem non educauisti; qui vna nocte exstitit, & vna nocte periit:*

11. *Et ego non parcerem Nineue, ciuitati maximæ, in qua sunt plures duodecim myriadibus hominum, qui non norunt discrimen inter dexteram suam & sinistram suam, iumentáque multa?*

Sequitur locus disceptationis duplicis, vt antè attigimus: vnius typicæ siue figuratæ, & alterius simplicis. Typicæ disceptationis occasionem præbuit Dominus ex ariditate ricini: cuius argumento Ionas primùm affectus dicitur æstu grauissimo. Deinde vota & sermones impotentissimè contra voluntatẽ Dei eiaculatus esse. In occasione cõcurrunt multa, ex quorum concursu Ionas ad murmurationem adductus est: Primùm arefactio ricini, de qua antè: deinde solis ortus: tum ventus orientalis silens, id est, lenissimus qui aërem vix verberaret à sole inflammatum. Nam hæc constitutio cæli est omnium feruidissima, cùm sol aërem totum inflammat, nec aër à vento flagellatur: tum quòd sol ea constitutione cæli læsit caput Ionæ: postremò quòd ex eo incommodo tam grauiter affectus est vt ipsum animus deficeret. Ex grauibus illis occasionibus quas proxime demonstrauimus profecta est illa Ionæ rebellio siue contradictio quæ sub finem versus 8. proposita exagitatur à Domino versu 9. & reuincitur duobus sequentibus. Rebellionis in Deum siue contradictionis illius duplex modus ostenditur: vnus internus, quod intus in animo suo obmurmurauit Domino: alter verò externus, quod etiam audacter oblocutus est, neque impotentiam animi sui dissimulauit quin aduersus Deum ipsam effunderet. Impotentiam animi declarat auctor his verbis, *postulauit animam suam (id est se) mori.* Audaciam vero in obloquẽdo demonstrat illis, *dixit*, nimirũ iterum, vt ante versu 3. dixerat, *præstat me mori quàm viuere:* nempe quia nonum argumentum ad ista cõtumelios a in Deũ optata Ionas sibi nactus videbatur, cum Deus non solum Nineuitis contra quam prænunciauerat pepercisset, verum etiam illud Ionę vmbraculum iniuria vermis & solis perdidisset. Huic impotenti optato obsistit Dominus reprehensione, & Ionas persistit cõtumacia in versu 9. Reprehensionem qua Deus obstitit, auctor enũciauit his verbis, *dixit Deus Ionæ, An benefactum, quod exarsit ira tibi propter ricinũ?* Nã hæc forma interrogandi negat vehemẽtissimè. Quod autẽ Ionas perstitit

ſtitit in contumacia, demonſtratur ſequentibus, cùm dicit, *factum bene quòd exarſit mihi ad mortem vſque:* tãquam ſi diceret inanes fore apud ſe Dei reprehenſiones, ſe præoptare mortem, quam vt iſtas iniurias diſſimularet. Atque hęc de typica diſceptatione: quam eo typicam appellamus, quia ricinũ Deus extulerat arefecerátque, vt eo typo iuſtiſſimum argumentum euincendo Ionæ haberet in promptu: cuiuſmodi argumentum ex re præſente Chriſtus Ieroſolymitanis ruinam præſignificaturus, ex ficu habuit, Mat. 21. & Marc. 11. Abſoluta typica hac diſceptatione Deus ad ſimplicem diſceptationem tranſit, duobus verſibus vltimis: in qua diſceptatione Ionas per comparationem luculẽtiſſimam facta accommodatione typi, de iure miſericordię Dei erga Nineuitas euincitur. Sic enim argumentatur Dominus, & præcludit os contumaciæ Ionæ. Quod iuris eſt te ipſo iudice in re minima, idẽ ius in maxima multo magis debet obtinere: Longè minor eſt ricinus quã ille Nineuitarum cætus; Tu verò iniuſtũ putas, quod tua cauſa ricino, quem neque coluiſti, neque educaſti, neque vllius alterius vitæ cõſortem eſſe nouiſti, à me non fuit parcitum: Cum ergo longè maior Nineuitarum habenda ſit ratio quàm ricini, quanto iniuſtius illud eſt, te iſtius populi minimè, ac ne tot quidem miſerorum innocentium, miſereri, & miſericordiæ meæ erga eos inuidere? Minorẽ proponit Deus in verſu 10. Concluſionem, vltimo. Ad propoſitionẽ minoris duo genera argumẽtorum adhibentur æquitatem eius amplius demonſtrantia: vnum à perſona Ionæ, *Tu* (inquit Deus) *neque coluiſti, neque educauiſti*, pro eo quod eſt nullũ ius ratione vlla potes obtendere. Alterum eſt à natura ricini, quod arbor eſt facilè enaſcens & intermoriẽs infirmitate ſua: ex quo ſequitur iniquam fuiſſe Ionæ querimoniam, qui rẽ à natura pereuntẽ perire noluerit, & interitum illius quaſi iniuſtũ ſua cauſa duxerit, Nineuitarum autẽ exitium pro re leui habuerit. Ad huius concluſionis amplificationem duo pertinent: Nam & modus enunciationis habet vehementiam, & materia eſt argumentorum multiplex. Modus enunciationis eſt erotematicus, & indignitatem querimoniæ per negatiuam (vt vocant) demonſtrat optimè, vt paulò antè dicebamus. Materia argumentorum concluſionem confirmãs ſumpta eſt: primùm à genere ſubiecti, quod agitur de condonatione erga Nineuem ciuitatem maximam: Deinde ab enumeratione partium, quod ciuitas illa hominibus & beſtijs ad vſum pertinentibus abũdaret: Tertiò quod hominum numerus infinitus eſſet, ſupra duodecim myriadas etiam infantium innocentium: poſtremò à cõditione perſonarum illarum quibus parcebatur: Nam ſi nondum eo deuenerant vt dextram à ſiniſtra poſſent diſcernere, multò minus iuſtum ab iniuſto diſcerni

ab illis posse: qua ex discretione homines nocentes aut innocentes dicuntur esse. Documenta hæc sunt.

1. Quemadmodum beneficia nobis à Deo obtingunt, ita etiam flagella ab ipso ferenda esse.

2. Deum omni tempore cùm ad beneficia ferenda, tum ad flagella immittenda, etiam ſtertentibus nobis, paratum esse:

3. In terra, cælo, aëre, omnibus denique huius vniuersitatis partibus arma esse ad manum illius exposita, quibus nos flagellet.

4. Nos, qui in obloquendo videmur fortissimi aduersus Deum, in perferenda re vel perturbatione minima animum abijcere.

5. Sed grauissimum illud peccatum videri Domino, cùm desperabundi animo abiecto legem ipsi ferimus, mortémque præoptamus, non acquiescentes voluntati imperatoris nostri.

6. Vtcunque grauiter prouocemus Dominum, illius gratiam semper tamen paratam esse, vt nos verbo salutari corrigat.

7. Sed eam esse duritiam nostram, vt neque sæpiùs reprehendenti auscultemus, nisi infantiam nostram Deus retexerit.

8. Propterea sæpe à Domino typos exemplaq; puerilia in nostris oculis adhiberi, vt inscientiam nostram audaciámque videamus, & Dei prouidentiæ omnia discamus permittere.

9. Audaciam nostram eo grauiorem esse, quòd Deo etiam obloquimur in iis rebus, quæ neque natura nostra aut labore nostræ sunt, neque natura sua nobis obstrictæ magis quàm Domino.

10. Propterea in rebus omnibus agnoscendã esse Dei misericordiam, omnémque laudem illius supra quàm credere aut cogitare possumus in peccatores gratiosæ constanter adserendam. Huic ergo laus & gloria in sempiterna secula.

FINIS.

ARGVMENTVM IN IONAM.

LIBER Ionæ Prophetæ totus est historicus: quo narratur vocatio Ionæ duplex; vna, quam contumaciter tentauit subterfugere, donec persequutus ipsum Deus deduxit in mortem præsentissimam, & mirificè ad viuos reuocauit, vt refractarium ipsius animum edomaret, atque ad obsequium sui abduceret; altera, cui auscultans Ionas apud Nineuitas prædicauit, cósque adduxit ad resipiscentiam: quibuscum indignè misericordiam Dei communicatam ratus, à Deo informatus est de iniquitate studij sui, & de æquitate Dei misericordiæ.

SVMMA CAPITVM.

CAP. I. ET II.

Ionas fugiens vocationem Dei se committit mari, vbi procella diuinitus excitata nautæ iacturam faciunt, deos suos implorant, & sorte Ionam reum deprehendunt: quod ille confessus sententiam mortis in seipsum dicit, ac propterea quamuis parcentibus nautis tandem in mare proijcitur: sedato æstu, nautæ agnouerunt Dominum, Ionas in ventrem piscis receptus orat Deum, miseriam suam exponens, & salutem expetens ad gloriam illius.

CAP. III. ET IIII.

Ionas iterata vocatione Dei Nineuitis prædicat: qui postquam credentes Deo, resipiscentiam coluerunt & testificati sunt, veniam à Deo impetrauêre: itaque Ionas ægrè ferens misericordiam de illis capi, tamquam si prophetia ipsius esset inutilis & ipsi dedecorosa, à Deo reprehenditur: deinde verò obseruans quid Nineuitarum opido futurum esset, diuinitus informatur quàm æqua sit Dei in res creatas suas misericordia.

FINIS.